

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Augusti Buchneri Orationes Panegyricæ**


**Buchner, August**

**Cliviæ, [1668]**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69483](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69483)







Constat. 18 ge.

XVI

27

Th. 5836.

Jan. 1668



AUGUSTI BUCHNERI  
ORATIONES  
PANEGYRICÆ,

HABITÆ IN ACADEMIA  
WITTENBERGENSI.

ANNEXÆ SUNT

*ET USDE M*

ORATIONES  
FUNEBRES,

QUAS IN EXEQUIIS CLARISSIMORUM  
VIRO-  
RUM, ALIORUMQUE HONESTISSI-  
MORUM HOMINUM, ET CIVIUM  
ACADEMICORUM

*coll. S. J.*

*HABUIT.  
Paderb.*


OTHO PRÆTORIUS,  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ  
HISTORIOGRAPHUS, ET POES.  
PROF. PUBLICUS  
EDIDIT.

---

CLIVIÆ,

Apud JOHANNEM MAURITIUM.







SERENISSIMO, POTENTISSI-  
MOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI  
GEORGIO II.

SAXON. JULIACI, CLIVIÆ,  
MONTIUM DUCI:

SACRI ROMANI IMPERII  
PRÆFECTO PRÆTORIO ATQUE  
SEPTEMVIRO ELECTORI: LAND-  
GRAVIO THURINGIÆ MARCHIONI  
MISNIÆ NEC NON UTRIUSQUE LU-  
SATIÆ: BURGGRAVIO MAGDE-  
BURGENSI: COMITI MARCÆ ET  
RAVENSBERGI: RAVENS-  
TEINI DYNASTÆ,

ETC.

PIO, FELICI, MAGNANIMO,  
HÆREDES BUCHNERIANI

HUNC INDUSTRIÆ PATERNÆ  
FOETVM,

SERENITATI EJUS  
INFINITIS MODIS OBSTRIC-  
SIMI, DEVOTIS ANIMIS

DANT, DICANT, CONSECRANT.


)o( 2

SERE-





# SERENISSIME ELECTOR.

 Olvimus inveteratum æs, hoc est, Patris optimi, AUGUSTI BUCHNERI, quæ inter pretiosissima reliquit, submissimæ venerationis pleni offerimus. Debemus Tibi, MAXIME PRINCIPUM, omnem hunc proventum paternum: Tu enim fovisti, Tu ornasti, Tu auxisti Virum juxta & Senem Buchnerum, tantâ æquanimitate & constantiâ, ut eniti in istum eloquentiæ gradum non licuerit spiranti, nisi principalibus tuis provisionibus levato. Debemus Patri Tuo, DIVO JOHANNI GEORGIO PRIMO, cui nihil gratius acceptiusque nomine Buchneriano fuit, quod in Avo, Tormentariæ rei & Fabricarum excellentissimo Præfecto, admiratus, in filio amavit unicè. Debemus Patruo Tuo, DIVO CHRISTIANO II. qui adole-



lescentiæ ejus fingendæ formandæque accuratissimè prospexit. Sed Tibi præcipuè tamen, DOMINE, debemus, ad quem unum auctumnitas ista, ut ita loquamur, naturali ordine devoluta tandem est, ut fructus carperes legeresque, quos Majores Tui serere in Buchnero ad futurum ævum instituerunt. Ita quicquid egregii fortè, & laudem aliquam promeriti [de quo nostrum non est pronunciare] in istis inest Panegyricis Orationibus, redit ad Te, SERENISSIME ELECTOR, ex debito & sponte suâ. Eò ardore es in humaniores literas, eâ comitate erga has professos, ut inter æstum hunc deprehensus olim demittere Te haud rarò infra augustale Tuum culmen, quod regali nihil quicquam cedit, non fueris dedignatus. Summorum Imperatorum Cæsarum, Regumque imitator tam acer hac in re, quàm felix stator. Ne credas igitur, PRINCEPS SAPIENTISSIME, fore ullum aliquando tempus, quod nominis immortalis Tui deleat memoriam, nisi deletos insimul ex annalium vetustissimis monumentis, ex Scriptorum maximorum inviolata fide, adeoque ex ipsis hominum animis ac pectoribus velis Orpheos, Hercules, Hectoras, Achilles; Nu-



mas Pompilios; Julios item, Augustos, Tiberios, Claudios, Trajanos, Adrianos, Severos, Constantinos, Theodosios, Carolos, Fridericos; Alfonsos denique, & mille alios eruditos ac summos Principes, cum quibus ut Tu paria facis, DOMINE, in plerisque multis: sic in multis illos transis. Nam quis finem vel cogitando assequatur Tuæ bonitatis? Deo proximi sunt Principes; non truculentiâ ac vi: sed justitiâ, sed clementiâ, sed liberalitate. Hoc Tuum est perpetuum ac quotidianum studium, perdidisse Te diem ratus, cum amore illo generis humani, TITO FLAVIO VESPASIANO, in quo nihil cuiquam Te præstitisse recorderis. Quâ in re testes nos ipsos, ac me cum primis, Christianum Augustum, vocat conscientia, quem clementissimè acceptum semel admittis æquè patientissimè, & patientissimè fers quoque. Ut taceam innumera in me benefacta Tua, de quibus satius fuerit filere secreta adoratione, quàm pauca hoc loco dixisse. Quare ad Te recurrimus, CLEMENTISSIME DOMINE, Te respicimus, quicquid peragenda- rum rerum nostrarum venit. Solicitatus evocatusque Avus noster, quem diximus,  
ab





ab augustissimo Imperatore RUDOL-  
PHO II. nec non potentissimo Daniarum  
Rege, magnis propositis muneribus ac sti-  
pendiis, non avelli potuit à sacratissima do-  
mo Tuâ, & Proavo DIVO AUGUSTO,  
filiisque DIVIS CHRISTIANO I. & II.  
constantissimè hæsit. Hanc majorum  
nostrum pietatem ac religionem & nos  
sanctè tuemur, & tuebimur, dum erimus,  
Tui futuri, INDVLGENTISSIME PRIN-  
CIPVM, quàm diu Buchneriano nomini  
supererit locus. Accipe igitur sereno vultu  
librum istum, POTENTISSIME ELEC-  
TOR, quem ad pedes Tuos deponimus  
cernui, pignus vigilantia paternæ, pignus  
fidei ac cultus atque obsequii nostri, ejus-  
demque in Te æterni. Non illi metuimus  
malè, quia Te vindicem nactus. Quod  
si iniquis arrodere tamen placuerit, ini-  
quorum præmia ferent. Poscimus supre-  
mum Numen devotissimis mentibus, ut in  
feros superes annos saluus, integer, paci-  
ficus, felix, domusque excelsissima Tua  
novis subinde aucta incrementis pari ma-  
gnitudine perstet ad illum usque diem, qui  
hoc universum hauriet. Interim votum  
unum nostrum est omnium, DOMINE;



clemens propitiusque ne desinas esse Buch-  
nerianæ stirpi, in quantum per seculum  
integrum jam Tua Divorumque Majorum  
Tuorum fuit. Sic nos securi agemus sem-  
per, semper læti cum universa magna  
illa parvulorum nostrorum alioquin tan-  
tum non enecatorum turba, Principe  
tàm bono, tàm benigno, tàm  
indulgente usi.





# LECTORI BENEVOLO

S.

**N**escio quod immitius fatum haecenus ex-  
ercuerit illa *BUCHNERIANA*. Ita prel<sup>o</sup>  
semper subjecta, nunquam absoluta prelo fue-  
runt. Annus labitur octavus, quod terris  
ereptus perfectissimus vir fuit, septugenario propior. Nam  
vitâ concessit pridie Idus Februarias anni sexagesimi primi  
proximi, cū in Professione Poes: XLV. Oca: XXX. E-  
phoria Elect: Alumnorum XXII. annos totius Academiae  
Senior expleisset. Ac dum viveret, multis quidem & ex-  
quisitis amicorum precibus fatigabatur unicè ad emitten-  
dum hunc foetum suum, quippe, ex quo intelligi demum pos-  
set, quid per totam vitam intra se conguessisset eruditionis &  
eloquentiae Buchnerus; Plinii junioris exemplo, & C. L.  
Mamertini & Evmenii & Nazari, ac reliquorum, qui  
vel bonis recordationibus prosequuti maximorum Impera-  
torum facta & vitas sunt, vel in aliis cothurno dignis rebus  
virtutem suam prodiderunt. Sed prout erat veterum ac-  
cerrimus ac prudentissimus imitator, non in verbis tantum  
& unâ sermonis dignitate ac habitu; sed illâ senili imprimis  
sapientiâ, quam in bonis auctoribus venamur: sic spirantē  
sibi hanc extorqueri clavam non passus est, ratus, intra arca-  
nos conscientiae carceres verius coerceri posse, quæ premenda  
veteribus in nonum ac decimum annum fuissent visa. Nun-  
quam enim insolentius efferebatur animo, ut ut principa-  
tus sui in his rebus non ignarus; se minor semper sibi, & ma-  
ior perpetuò tamen omnium ore & admiratione? Post ejus  
excessum operam istam utilissimam aggressus Cohæredum  
rogatus est Gener Clarissimus, OTHO PRÆTORIUS,  
vir sicut ad morum omnem facilitatem ac gratiam, quam  
virtutum rarissimam non absre φιλία Aristoteles dixit;

106

ita



ita ad eloquentiam quoque, ac carminum artes, & quae eo spectarent, factus & destinatus ab ipsa quasi natura: cuius opera etiam affectus liber; sed quod morte praecerba ante diem non sine magno literarum detrimento praeventus, annos non amplius duos & tricenos natus, perfectus non fuit. Ita denique jacuit desideratissimum opus, de quo tamen protrahendo tandem in publicum serio cogitarunt nobilissimi heredes BUCHNERIANI, inque his praecipue CHRISTIANVS AVGVSTVS, ob avita virtutis & artium illustrem prudentiam à Serenissimo Electore Saxonico rei Tormentaria Fabricisque praefectus & JACOBVS WILHELMVS, Turmae equestris Optio. Factum inde, ut ad me discipulum veterem, aut ut verius dicam, vetustissimum & maximeque BUCHNERI, devolveretur, quicquid reliquum cura in edendo libro hoc fuit. Recordabar eruditissimarum Scholarum, quas ante istos quadraginta & tres annos habuit venerabilis senex multo equidem meo cum bono, dum & pateret quotidie liberrimus accedenti aditus, & crebrioribus ob ambulationibus quasi iunculisque meis compendium longè maximum facerem discendi; recordabar arctissima deinceps consuetudinis postquam Professorio muneri ipse praevog, fueram admotus; quam adeo sanctè custodivimus uterque, paterno affectu & indulgentia ille, ego filiali veneratione ac cultu, ut quae elam inter nos nulla fuerit unquam, praeter quae nos extremis ejus temporibus disjunxit. Nam morti proximus advocabat, hortabatur, objurgabat absentem, venire ad se vellem quo cum de rebus seriis sibi colloquendum ante obitum esset. Sed lecto aequè defixus ego & decumbens graviter adesse mox discessuro non poteram, ut quam maximè discuperem; cum communi singultu ac agitudine ingenti nostra. Caterum adii facilis ac promptus postremum laborem, qui editionem istam voluminis gravisimi expressit. Gravissimi dico. Neque enim magnitudi-

ne ac




ne ac mole metiendus hic liber; sed pretio sua virtutis. De  
quo statuent eruditi. Nam talia scribere non nisi erudito-  
rum est. Interim magna agenda habendaq; gratia sunt no-  
bilissimis, quos dixi, HÆREDIBVS, qui tanta frugis ac  
ponderis corpus non invidere erudito orbi (de quo non semel  
conquestos doctos memini viros) sed verò impertire liberali-  
ter instituerunt. Tu utere feliciter, LECTOR BENE-  
VOLE, & posthac multò plura alia è scriniis Buchnerianis  
expecta, si non parvis gravitatis, at infinita venustatis tamen  
& acuminis inspersi. Sic enim solitus BVCHNERVS. B.  
V. CANDIDE ELECTOR, & honoris Tui studiosissi-  
mo fave.

wittebergæ Kal. Julias  
A. cId Idc, LXVIII.

JOHANNES ERICUS OSTER-  
MANNUS, Acad. Senior.





In  
AVGVSTVM BVCHNERVM,  
optimè de se meritum Senem.

P Oëta magnus, atqve magnus Orator,  
Acer, disertus, fulminum potens ductor,  
Cui nil secundum nilqve par erat seclô,  
Examen orbis eruditi, & exemplar,  
Socco vel iret, grande vel cothurnatus,  
BUCHNERUS, isthòc sistitur senex libro.  
Mollis juventæ cessat hîc labor mollis;  
Incana qvæ mens alta cunqve concepit  
Acuminumqve plena sponte natorum,  
Morisqve prisca fortium Mycenarum,  
Tum septicollis quem sequuta Roma olim,  
Hûc cuncta longo transiêre proventu,  
Miratur Orbis, totus & stupet secum,  
Avis Latinis creditam hætenus palmam  
Myrorum in unum commigrasse BUCHNERUM.

J. E. Ostermannus.





*CLARISSIMI*

I.

VII. *Ad Serenissimum Principem ac Dominum,  
Dn. Iohann. Georgium II, cum Parentem Serenis-  
simum*



*simum lugeret, ac novum Principatum auspicaretur.*

VIII. *Ad eundem Serenissimum Erectorem, cum à Comitibus Ratisbonensibus feliciter domum rediret.*

IX. *In Excessum Per Illustris Herois, Henrici Senioris, Lib. Baronis à Frisen. &c. &c.*

X. *Illustri Viro Friderico Metschio, in Reinchenbach & Frisen. &c. &c.*

XI. *Memoria Reverendissimi Praesulis, Pauli Roberi, S.S. Theol. D. Prof. P. nec non Ecclesiae VVittenbergensis, & caterarum circuli Elect. Saxonici Superintendentis optime meriti.*

XII. *Memoria Viri Incomparabilis, Danielis Sennerti, Medici.*

XIII. *Ad invictissimum Romanorum Imperatorem Ferdinandum III. semper Augustum &c. alterius nomine scripta.*

## II. FUNEBRIUM,

*Quas in exequiis Clarissimorum Virorum aliorumque honestissimorum hominum, & civium Academicorum habuit.*

### I.

**I**n funere D. Balihasaris Meisneri, Prof. P. & Academia VVittebergensis Magnifici Rectoris.

II. *In Fun. D. Friderici Balduini, Ecclesiae VVittenbergensis Antistitis, Superintendentis Generalis & Prof. P.*

### III. In



III. In Fun. D. VVolffgangi Franzii, Prof. P. & templi Arcis Præpositi.

IV. In fun. D. Benedicti Carpzovii, Senioris, Excancellarii & Consiliarii Saxonici.

V. In fun. D. Iohannis Strauchii, l. V. Prof. P. & Collegii Iuridici Ordinarii.

VI. In fun. D. Godofredi Reuderi, Prof. P.

VII. In fun. D. Tobia Mevii, Illustris Anhaltini Principis, nec non Illustrium in Barby Comitum, Consiliarii.

VIII. In fun. Iohannis Blumii, l. V. Doctoris.

IX. In fun. Mauriti Blumii, Medicina Doctoris & designati Prof. P.

X. In fun. D. Danielis Sennerti, Medicina Prof. Publ.

XI. In fun. Ambrosii Rhodii, Matheseos Prof. Publ.

XII. In funere M. Valentini Preibisii, Dn. Ioh. Georg. ab Arnimb. &c. Seren. Elect. Sax. copiarum Præfecti generalis, Concionatoris.

XIII. In fun. Sebastiani Mulleri Vratisl. Silesii, SS. Theol. Studiosi.

XIV. In funere Ieremie Godofredi Reichelmi, Hallens. Sax. l. V. Studiosi.

XV. In fun. Iohannis Ernesti Reichelmi, Hallens. Sax. l. V. Studiosi.

XVI. In fun. Antonii Fabricii, Stetinenf. Pomevan. l. V. Studiosi.



XVII. In funere Caspari Anckelmanni, Lips.  
Misn. 1. V. Studiosi.

XVIII. In fun. Reginae Tünzelia, D. V Vilhelmi  
Lyseri coniugis.

XIX. In fun. Mariae Selfischia, D. V Volffgangi  
Schalleri, Medicinae Prof. Publ. Coniugis.


XX. In fun. Mariae Polemannia, Quirini Scha-  
cheri, Reip. Lipsiensis Senatoris & Mercatoris pri-  
marii, coniugis.

XXI. In funere Mariae Reutera, Michaelis  
Schneideri, Quaestoris Praefecturae VVittenberg.  
coniugis.

XXII. In funere Agnetis Schneiderae, Michaelis  
Schneideri, Quaestoris Praef. VVittenberg. filiae  
virginis.

XXIII. In Funere Barbarae Schüreria, Christo-  
phori VVustii, Bibliopola VVittenbergensis, coniu-  
gis.

F I N I S.





AUGUSTI BUCHNERI  
**ORATIONES**  
PANEGYRICÆ

HABITÆ IN ACADEMIA  
WITTENBERGENSI





# ORATIO PRIMA.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
SVECORUM REGI, OB PARTAM  
A. clb. lbc. XXXI. LIPSIENSEM  
VICTORIAM,

Dicta ANNO clb. lbc. XXXII. D. VII.  
SEPTEMBR.

RECTOR MAGNIFICE, GENEROSI  
BARONES, PATRES AC CIVES ACADE-  
MICI, REVERENDI ADMODUM, AMPLISSIMI,  
CLARISSIMI, CONSULES AC SENATORES  
PRUDENTISSIMI,

TVQVE FLOS NOBILISSIMÆ LECTIS-  
SIMÆQVE JUVENTVTIS.

**I**lluxit tandem, volente DEO, & quod perpetuò dolean  
ac plorent veritatis hostes, felicissimè illuxit Septima I-  
duum Septembris, quâ anno superiore partâ prope ur-  
bem Lipsiam, annitentibus hinc Inuictissimo Suecorum  
Rege, GUSTAVO ADOLPHO, quem ob res maxima  
gestas meritò MAGNUM cognominamus; hinc Serenissi-  
mo Saxonum Electore, JOHANNE GEORGIO, De-  
fensoribus Religionis, admirabili prorsus divinaque victo-  
riâ, respirare pressæ pietatis res, & illa vel antiquorum monu-  
mentis etiam celebrata Germaniæ libertas, quæ mihi um in  
modum



modum malevolorum artibus circumscripta, & tota pene oppressa fuerat, sese erigere denuo, & velut de carcere prodire cepit. Quod quia procul omni dubio singulari DEI immortalis munere ac providentiâ contigit, eadem pietate hodierno die publicè ipsi solenniterque reddendæ laudes, & persolvendæ gratiæ decretæ sunt, qua retro elapso anno Gloriosissimi Victores arma sumserunt. Nam oblivisci, aut dissimulare, quæ in nos Numinis bonitas contulit, quid aliud videbatur, quam aut non agnoscere divinum munus, quod infelices imprudentiæ; aut negligere ac parum curare, quod manifestè impium esset. Quamquam & perniciosum non minus, cum nulla alia res æquè nobis obstringat Deum amicumque ac benevolum reddat, quam si memoriam beneficiorum, quæ præstitit, sanctè semper custodiamus. Equidem si in cæteris rebus nihil prudenter suscipi, nihil finire feliciter prospereque sine divinâ ope potest; quis putet, aut potuisse deliberari hanc tam difficilem pugnam, aut tantam obtineri victoriam, nisi se miscuisset Deus, & quodam cœlesti igne inflammasset quasi consultantium animos, quadam divinâ virtute pugnantium dexteris obarmasset? Enimverò hoc planè mihi persuasum habeo, Auditores, eo demum tempore summum, quod omnia moderatur, Numen, tot precibus, tot votis, quæ inter quotidianas lacrimas gemitusque perpetuos hæctenus, tot dejecti fortunis, expulsi sedibus, liberis conjugibusque privati, aut alia nefaria & indignissima passi, assiduè fuderant & nuncuparant, adductum fuisse atque commotum, ut ferre tandem opem vellet, quorum tot documentis patientiam probasset; contra verò superbiam, fastum, immanitatemque eorum, qui suis abusi succes-



sibus, non hujus atque alterius, sed omnium omninò inhiabant bonis; non uni genti aut populo, sed universæ, quacunque patet Germaniæ (forſan & vicinis, ſi poſſent regnis, quæ inexplebilis & infinita eorum cupiditas eſt) acerbiffimæ ſervitutis jugum imponere; præcipue autem veram religionem ab aris, à templis avertere longè, quin potius ex ipſis animis mentibusque ac totâ memoriâ hominum delere, evellere, eradicare conabantur. Quo ſummo discrimine ac metu, quòd liberatæ maximam partem iſtæ provinciæ ſunt, & hæc inprimis clariffima Muſarum ac ſapientiæ ſedes, & meritò gratulor, & jure quodam exclamare mihi poſſe videor: O Idus Septembres, ô hora anni, jam non proventu frugum, aut ubertate fructuum, ſed hoc proſperimo eventu pugnæ maximisque ſucceſſibus beata ac felix! O auctumnaſe tempus, quo merito olim hæc univerſi moles, omniaque ſolatia vitæ ac commoda creata primum nataque exiſtimantur, cum eodem hæc omnia reddita & confirmata nobiliſſimæ genti videantur! Quotumquemque in hac tot maximorum clariffimorumque virorum, tot florentiſſimorum Juvenum, quorum aſpectus me nunc mirificè afficit atque exhilarat, coronâ poſſe reperiri putem, qui quidem exiſtimet, hanc vitæ lucem, hunc cœli, qui omnes alit, ſpiritum ſuperfuturum cuiquam in hunc diem, aut bona, liberos, conjuges, ſalva manſura fuiſſe ac integra, abſque hac illuſtriſſimâ victoriâ ſi eſſet? Magnum atque eximium proſus, Auditores, eſt: ſed multo præclarius ac excellentius habendum puto, quod libertatem, quod religionem aut reſtitutam vobis, aut conſervatam hæcenus videtis. Ita enim rationem duco; cùm mors earum rerum, quæ quidem terrorem homini ac metum afferre ſolent,



solent, omnium formidabilis maximè vel à Philosophis etiam censeatur; equidem vix quicquam nobis vitâ ac spiritu aut charius unquam, aut jucundius erit, & de quo magis solliciti simus. Hæc ipsa vita tamen occisa quodammodo, ac mortua mihi videbitur, si eam non comitata libertas fuerit: & istam rursus vix alicujus momenti habeam, si pietate & verâ cognitione Dei careat, quam Religionem appellamus. Etenim quod corpori nostro anima est, id libertatem præstare vitæ arbitror. Quemadmodum enim quòd movetur corpus & agile est, videtque & audit ac sentit, id non ab se, sed ab animâ habet; ita hæc vita non spiritu ipso, sed usu fructuque ejus metienda est, qui extra libertatem verus esse non potest. Hæc enim ubi ademta fuerit, quid reliquum nobis præter dedecus & ignominiam manet? sic, quasi ex corpore cum evolârit anima, nil nisi putredo, & fætor, & quod pudet dicere, de homine restat. Quocirca quòd generosior quisque natus est, eò libentius vitâ, quàm libertate carere solet. Cùm & bestię nobiles citius ferrum corpore recipiant, quam vitam cum servitute paciscantur. Sed licet hoc nobis libertatis studium tribuat, ut, cum digressus corpore spiritus, gloria nostra ac decus vigeant; tamen ut ille ipse noster spiritus, sive anima, quam à Deo Patre Optimo accepimus, ad suum auctorem jam absoluta corporis vinculis redeat, & beatissimis coelorum choris associetur, tribuere non potest. De quo cum ante omnia videndum homini, & semper, atque præcipuè, laborandum sit; id autem sola vera, quam profitemur, Religio conferat; ita imbuendus animus ac incendendus velut amore libertatis est, ut pietatis atque religionis curâ nihil prius, nihil antiquius habendum nobis



existimemus. Quæ duo maxima & divinissima, quæ unquam contingere homini nato possunt, bona, cum hodierno potissimum die, incredibili Dei immortalis benevolentia atque amore erga vos, Invictissimi Regis Suecorum virtute atque periculis ex flamma ac ferro, & ipsis quasi atrocissimi hostis faucibus, cum Vobis, tum universæ Germaniæ erepta ac conservata, Auditores, videam; meritò & summis Deum mactò laudibus, cujus auspiciis opibusque hæc omnia gesta atque administrata sunt; & vestræ felicitatis causâ lætus lætitiis omnibus gaudeo atque triumpho.

Dabit is veniam, Auditores, si hoc in loco orationem meam non nihil circumagam, atque deflectens paullisper ab eâ, quam pressi hætenus, orbitâ, de Rege ipso pauca dicere ingrediar. Non quod hoc necessarium magnopere putem ejus causâ, qui suâ unius virtute ac conscientia contentus, externis aliorum laudibus carere facile potest; sed quod existimem, hoc justiore ratione publicum istud nostrum atque solenne gaudium niti, si constet, maximum Principem, non sui commodi decorisve causâ jecisse hujus belli aleam, sed solo pietatis vestræque salutis studio ad corripienda stringendaque arma victricia fuisse adductum. Neque enim me latent diversa mortalium de Incomparabili Rege judicia, quem alii temeritatis arguunt, alii ambitionis cujusdam avaræ accusant: cum multi contra ad cælum usque tollentes laudibus nunc Protectorem, nunc Liberatorem suum proclamant. Et nihil miror ita fieri: cum nulla, ut arbitror, inveniri res possit, quæ tam ad excellentissimum perfectionis gradum adducta sit, ut omni omnino reprehensione careat. Videnturque huic legi & ipsa divina quoque subjecta quo-



quodammodo esse. Notum proverbium vetus est, quod ipsum Patrem Deorum non semper probari omnibus jactat. Atlantes quoque, Libycam gentem, legimus devovere diris orientem Solem pariter & occidentem, quem lucis auctorem alii, vitamque principem venerantur. Atque ut ille ipse ductor siderum, cum eodem lumine.

---- *Opera omnia lustrat,*

indurat tamen alia, alia contra liquefcere facit; ita & tua GUSTAVE MAGNE (nam quidni absentem longè, sic, quasi coram positus, alloquar, qui nunquam non animo ac reverentiâ tibi præsens sim) ita, inquam, tua divina & incredibilis virtus cum omnia radiis suis penetret, splendore illustret, alios tamen admiratione sui implet, alios ad obrectandum rapit. Dum vel non possunt assequi, vel ægrè ferunt tibi contigisse sic, ut ultimum libertatis, quam planè everfam cupiunt, præsidium in ea positum videant. Est enim hoc fermè improbitatis ingenium, ut tollere primò aveat, quos suis conatibus adversari intelligit; atque id si non possit, ad obrectationes atque calumnias descendat. Puerorum instar, qui si cui ægrè per lasciviam facere cupiunt, & tamen non firmi satis sunt, hunc luto conspergunt, & fugiunt: atque hoc ipso petulantiae crimen incurrunt, sæpè & pœnam: cum nullo ejus damno, cui mol- sti fuerunt. Quis te temeritatis arguat, AUGUSTE, qui noverit, quàm tu divino ingenio, quam subtilissimo judicio ita polleas ut abundes? atque non modo celeriter invenire consilium valeas, sed & videre atque dispicere probè, quid rei maximè conducat? Quod utrumque ut divinitate naturæ tuæ, annuente Numine, consecutus es; ita maxi-



marum rerum usu à primâ adolescentiâ usque axacui-  
 sti. Eo enim tempore, quo se vix alii literis tradunt, ge-  
 rendis negotiis maximis admotus es: nec prius in ludo,  
 quàm in curia & campo Imperatorias artes didicisti.  
 Ita tamen, ut utrumque miscere videreris, & simul acti-  
 onibus arduis, simul legendo etiam vacare: evolvens  
 scripta omnis generis, omnis ævi, unde aut melior, aut  
 prudentior, imò & fortior fieri posses. Quorum alia  
 ita tractabas, ut probares penitus: alia, ut ampliandum  
 tibi de illis existimares. Non reprehendendi causâ,  
 sed ut de veritate luculentius constaret. Et hanc in  
 omnibus venari oportet. Sed avaritiæ atque ambitio-  
 nis crimen, DOMINE, qui in te audent conjicere, pro-  
 fectò non vident, quàm nihil tibi retineas, quæ aliorum  
 causa occupaveris: nec in cuiusquàm possessiones, ni-  
 si hostium, invadas. Atque hoc ipsum, quia aliena  
 rapuerant, ne id in posterum sibi licere putent. Qui  
 nihil aliud agunt, quàm ut subversis aliorum opibus,  
 soli rerum potiantur, & cæteros omnes vel servos vi-  
 deant, vel sibi in omnibus obsequentes, qui proximi  
 servis. Sed digna imitatione magnitudo animi tui,  
 AUGUSTE, est, quem sicut acies hostium non ter-  
 rent, ita malevolorum voces faciliè præterlabuntur,  
 conscium sibi, te pro DEO, & vicinorum libertate stare  
 in armis. Nam cum videres per omnem Germaniam  
 ubiq; religiosos aut proscribi, aut indignissimis modis  
 tractari, ac eam tempestatem non in plebem modo ac  
 populum, sed in ipsa capita, & Principes maximos sævi-  
 re; putabas te, & in Deum perfidû, & in ipsos homines  
 etiâ fieri, quos in mutua adjutoria natura creavit, si pa-  
 tereris vexari ecclesiâ amplius, & tã illustres familias cû  
 affinitate, tum sanguinis etiâ cognatione tibi astrictas,  
 quotis



quotidie iis ludos jocosque fieri, qui, quod acerbissimum erat, vilissimi plerumque, & abjectissimi mortalium, & qui parentem laudare alium, præter terram, non possent. Magna profectò res est præstare Regem: qui ut à Numine proximus, ita eidem & quàm simillimus esse debet. Cæterùm non uni partitantum consulit, sed universum curat Deus: & Rex præcipue quidem suis prospicere, sed tamen & aliorum pertinere ad se existimabit injurias; atque si poterit, vindicabit. Non quasi imperare omnibus cupiat: sed quia nemini ipse pareret. Herculem, Jovis filium Poëtæ memorant: ut si non dignitate atque potentia, at animo tamen ac indole Regem fuisse significarent. Eundem referunt egressum è solo patrio terrarum orbem perlustrasse, & quicquid monstrorum occurreret, confecisse; iisque rebus meritum, qui inter sidera, & Decs referretur. Nihil aliud sibi voluerunt dissimulatores Veritatis, quàm divinum regiumque esse, ubique se improbitati opponere, & instar benefici sideris salutem ac felicitatem omnium operari. Plura ac infinita dicere poteram, DOMINE; sed opus verbis non est, cum ipsa virtus tua te faciliè absolvat. Quæ ut vulgarem modum prorsus excessit; ita mirum non est, si profanis animis capi non potest. Nam divinis atque coelestibus tora statim patet. Ea itaque macte, Summe principum, & nihil moratus invidorum voces, feliciter perge ceptos victoriarum cursus, pius Deo, pius Tuis, pius Germaniæ universæ, cui non uno fortassis nomine Sveci tui debemus. Quod dum ingenuè fateor, non certè ad gentis nostræ dedecus perinet; sed maximam laudem habet. Nam nihil dissimulare, unde profeceris, plenum est candidissimæ simplicitatis, quam solus Septen-

A §

trio



trio tuus adhuc videtur alere, ex quo gentibus cæteris fumi fermè, ac nebulæ, & quicquid quæsitum atque compositum est, in pretio esse cepit. Equidem nullus populus, aut natio, ita exulta & rebus omnibus à primis statim incunabilis instructa fuit, ut alijs nihil posset debere. Toto terrarum orbe celebrata Græcorum sapientia est ac eruditio: qui tamen rudes procul dubio, & inculti fuerunt, priusquam literas, & humanitatem, ut ego arbitror, à Phœnicibus accepissent. Nec Italia eò pervenisset unquam, ut elegantiarum mater haberetur, nisi cum spolijs Græciæ Romanus Populus & artes quoque in bellicosum Latium intulisset. Hæc ipsa Germania, nonne ab Italis, literas, eloquentiam, Philosophiam accepit, & ad nos postea misit? nec immeritò, quippe cujus pars nobilissima fuimus, cum nondum ad hos arctiores limites redacta esset. Dignam itaque justitiâ tuâ ac pietate fecisti rem, DOMINE; quod benè mereri de ea volueris, quæ de tuis ante fuisset: & reddere illi, aut certè asserere liberali causa, quæ inde potissimum ad nos ante essent translata, & nunc ab improbis intercepta. Quorum quidem Religio maximum ac præstantissimum est. Quam sicut avus tuus, GUSTAVUS, summæ prudentiæ Princeps, postquam transgressa Oceanum, in regna sua ac ditiones non modo recepit comiter ac perbenignè, verum & antiquatis ritibus superstitionis impiæ, stabilivit egregiè ac confirmavit; ita tu profugam ac ejectam quasi postliminio in Germaniam reducis, ei que non tantum reddis possessiones veteres, sed novas quoque & ampliores, productis finibus, donas. Et si celeste Numen, cui tu soli militas, perget cohortes tuas & copias (quod fore credimus, & vovemus) favore eo, quo pro-



prosequutum hætenus cum universi propemodum orbis admiratione est, comitari; non dubitamus, quin eam pacem, eam tranquillitatem, addo & felicitatem, post tot procellas ac tempestates consecutura Ecclesia sit, quantam vix Constantinis olim, vix Theodosiis debuit, & à te solo expectare potest. Cui pulcherri-  
mo & nobilissimo negotio dum totus incumbis, Rex, ac huic curæ reliquas omnes, etiam vitæ ac capitis posthabes, quæ ignavissimus quisque præcipuè amat, indignor penè ætati meæ, & hanc annorum meorum accuso mollitiem, quòd non adesse tibi, quod ardet animus, atque imperia tua exsequi, atque hac dextera mea, hac dextera, inquam, probare hostibus possim, quàm non impunè ipsis sit laceßere eum, qui totum se, & asserendæ Religioni ac libertati, &, quod non minus pium est, tuendæ immortalis gloriæ decorique tuo, Rex, devovisset. Sed quia nemo virum agit, nisi qui adolescentiam ante juventutemque transmiserit: & tua præterea imperia obstant, DOMINE, qui me in hac Musarum urbe, in hac clarissima & antiquissima veræ pietatis ac religionis Schola potissimum voluisti subsistere, & adolescentem ætatem iis excolere ac erudire studiis, quæ me cum tempore expectatione tua præstare dignum possent; equidem non præcipitabo vota, & gloriosissimum mihi ducam, tuis sanctissimis iussibus sanctè parere.

Nunc ad vos, AUDITORES, ex diverticulo redeo, quòd me, cum non tam ille Rhetorum mos, qui in orationum hoc genere ferè regnare solet, ut quovis excurrant liberè, & vel cum quadam ambitione excessuum istiusmodi amcenitates quærant, sed pietatis vis, & quidam quasi sacer ardor, quem ex ipsius loci, in quo  
nunc



nunc versor, Religione crevisse mihi arbitror, rapuit longiusque fortassis, quam par erat, abduxit. Non feretis id ægrè, auguror, & liberaliter ignoscetis, vel ejus causâ cui hoc omne datum est; & quem vos scio summâ reverentiâ colere ac venerari.

Ego verò sicut diei hujus prosperrimos & incredibiles successus tum Vobis, Patres Academici, & cæteri omnium ordinum lectissimi Viri, tum universo Saxo-  
num populo, ex animo gratulor, & DEO immortalī pro tam opportunâ magnificâq; victoriâ summas ago & habeo gratias; ita mirificè lætor, me sub hoc ipsum tempus potissimum in hanc toto orbe & viris & studiis quoque clarissimis celebratam Academiam venisse. Nam cum jamdudum de eâ & alios perhonorificè sentire audierim, & mihi met ipse præclara quæque atque eximia pollicitus fuerim, eamque ob causam ei cum-  
primis hanc adolescentiam meam, & florem ætatis, tanquam piissimæ matri, fovendum & excolendum credere exoptarim; quid dulcius nobis jucundiusque accidere posset, quàm si eandem, non dejectam vultu, aut squalidam lacrimis, & ultima pene quotidie metuentem (ut proximis annis) sed hilarem, & jam de liberate suâ sperantem oprime, inveniremus? Præcipue cum videam hanc felicitatem non minimam partem incomparabili Regis mei virtuti imputari. Nam sicut cum-  
primis jucundum mihi & gratum est, hæc ejus eximia beneficia non intercepta esse hætenus hostium machinis, quas innumerabiles quotidie struunt; sic mirum in modum me afficit, cum ea video gratulatione publicâ celebrari. Etsi enim omnibus omnium commodis favere & gratulari oportet, quòd universim homines quodam arctissimo cognationis vinculo inter  
nos



nos colligati & apti sumus; tamen præcipuè voluptatem nobis aliorum gaudia afferre solent, cum causæ eorum à nostris descendunt. Nam cæterorum miramur virtutem, nostram amamus. Jam illud quanto nos cumulat gaudio, ac obruit penè, quòd singularis iste mihi honor contigit, ut hodierno die, quo anno superiore invictus Pater, in ita societate belli cum fortissimo Saxonum Principe, pro incolumitate, pro libertate atque fortunis harum Provinciarum acie decertavit, ipse in hoc religiosissimo templo, in augustissimâ istâ cathedrâ, ad clarissimos & celeberrimos pietate, doctrinâ, virtuteque viros applaudente pubis lectissimæ concione verba facere possem? Quos cum intueor silentes alios, & quasi abductos in se mirari felicitatem hujus diei, alios gestu ac oculis lætitiâ prodere, nonnullos & inundantis gaudii vi fundere lacrymas, omnes tacitâ mentis voce precari bene, & DEO reddere gratias; ita felix sim, ut omnes sensus pertentari mihi videntur, ac externari penè incredibili voluptatis genere, & extra se poni. Præcipuè cum has maximorum Principum statuas, quas ex utroque, ut videtis, latere suorum pietas æternitati virtutis eorum dedicavit, intueor: quorum alterius auspiciis prodire è tenebris iterum veritas, alterius confessione publicâ confirmari primum cepit; vel cum hanc tuam, Beate LUTHERE, imaginem obeo oculis, & veneranti similis lustro. Videre enim unâ mihi videor eorum sanctissimos manes, qui in hoc ipso loco conditi sunt, prodire de tumulis, & faustis vocibus nobis astrepere, sibi que congratulari, quod immortalis DEI munere, & Gloriosissimorum Victorum opera, cineres sui atque reliquię inviolatæ atque illæsæ manserint, & quæ divina beneficia



cia non in istas modò terras, verùm in universum orbem Christianum contulissent, vindicata contra vim ac dolos hostium, darent adhuc & salva ac incorrupta vigeant. Erit profectò Auditores, erit profectò mihi hic dies semper venerabilis, & festus, & sacer in posterum. Quem usque cogitem, usque revolvam cum animo, & colam. Cujus nunquam meminero, quin sacro quodam gaudio replear, & veluti stimulis quibusdam conciter, qui agant animum atque inflamment ad suscipiendas pares res iis, quæ hodierna gaudia effecerunt. Quæ ut perpetua vobis ac propria sint, DEUM Optimum Maximum devotâ mente veneror, eundemque precor ac rogo, ut invictissimos Principes, GUSTAVUM MAGNUM, Svecorum Regem, & JOHANNEM GEORGIUM, Saxoniarum Ducem ac Electorem, pietatis fœdere conjunctos, perpetuo foveat, tueatur ac prosperet, eorumque imperio ac ductu utrumque, Sveonum pariter & Saxonum populum, profligatis perduellionibus, ubique salvum, ubique incolumen, ubique compotem libertatis, compotem Religionis terra marique semper præstet, & bonis auctibus augeat; hostes verò & inimicos ejus felicitatis exemplis pessimis magis ac magis quotidie frangat, imminuat, obferat, penitusque evertat: Ut contra viventis Austri tempestates invictus Septentrio semper floreat, semper triumphet, decus orbis, gloria populorum.

DIXIT

IN TEMPLO ARCIS

GUSTAVUS, GUSTAVI ADOLPHI, SVECOR. R. FILIUS.

ORA.





## ORATIO SECUNDA,

OBEANDEM

VICTORIAM LIPSIENSEM,

DICTA IN TEMPLO ARCIS, VII. IDIÆ.

SEBTEMBR. A. cdo. loc. XXXIII.

RECTOR MAGNIFICE,  
ILLUSTRIS AC GENEROSE BARO,  
PRÆSIDES PROCERESQUE PATRIÆ EMI-  
NENTISSIMI, NOBILISSIMI, PATRES ACA-  
DEMICI ET COLLEGÆ REVERENDI, AM-  
PLISSIMI, CLARISSIMI, CONSULES PRU-  
DENTISSIMI, DOCTORES PRÆCLARI,  
SENATORES INTEGERRIMI AC  
ORNATISSIMI;

ET SPES PATRIÆ, NOBILISSIMA AC LITE-  
RATISSIMA IOVENTUS.

CUM anno proximo hac luce publicè verba  
ex loco isto fierent, & festis undique gau-  
diis hoc augustissimum streperet templum,  
id ego (credo & vos, quibus adesse conti-  
git, AUDITORES) à DEO immortalī tacita men-  
tis veneratione precatus sum, ut munera & gratulatio-  
nes ejus diei propriæ nobis ac perpetuæ essent, nova-  
que indies incrementa caperent. Audiit Numen o-  
rantis preces; & rata habuit vota, quæ semel religiosè  
nuncupata fuerant. Illuxit VII. Iduum Septembris,  
& felicissimo exortu desideriiis nostris res, onder.  
Nus-



Nusquam in istis regionibus hostis est: nec arma, nisi amicorum. Prædas, expilationes, raptus nemo queritur: aut si quis queritur, vindicantur: nisi cum furto fallunt ac tenebris, aut nescio qua felicitate sua impunita abeunt, non quia probantur. Stat celeberrima ista urbs, & melior firmiorque quotidie surgit: stat officina Sapientiae ac sedes Musarum, Academia nostra, viris, studiis, juventute egregia florens. Atque cum salvum cernimus Patrem Patriæ, cum juventutis Principes, cum omnem divinam domum, quid addi optatis potest, nisi ut perpetuitatem impetremus tantæ felicitatis? Quicquid superiore anno calamitatis invexit hostis; luit pessimè: cum, pulsus, cæsus, profligatus, clarissimam nobis victoriam traderet, sibi dedecus & cladem auferret. Hoc uno felix, quod in acerrimo eo conflictu ipse Ducum Ductor cecidit, virtutene ac vi, an patricidio incertum. Quem unum ictum ac vulnus, quo illa divina ac invicta anima erupit in cælum, pro quo pugnatat, si preces nostræ ac lacrumæ, si tot assidue fusa suspiria declinare atque avertere potuissent, quantam victoriam, quibus successibus haberemus? Quamquam sic satis beati, quod nihil amisimus, quæ nobis divina sua virtute peperit, victor felix; & plura tenemus. Nondum Visurgis erat subactus, cum dirum istud fulmen nostram afflaret felicitatem: nec processeramus ad alpes, aut ubi Alsatia in Lotharingiam transit. Quæ didicit nuper prælio superata ac acie, quanto constare malo soleat, vel mortuum quoque hunc de Septentrione laceflere Leonem. Quid nunc de illa divina victoria memorem, quæ paullo ante ad Hamelam parta? quæ mox virtutis pretium ipsam fortissimam urbem tulit? Quid reliqua, non æque magna for-



fortassis, at talia, quæ satis ostendant, vix quicquam in Rege amisisse partes præter speciem ejus ac umbram; virtute fortunaque nobiscum manente? Nam terror nuperus ac tumultus, latrocinium magis quam bellum, & brevis quidam ac momentaneus furor, quam certa & iusta insania fuit. Ut similis fugienti hostis venerat, sic plenus trepidationis ac metus recessit: quasi infestæ, & quas ante senserat, alæ, premerent, cum præter conscientiam malam nemo sequeretur; quæ omni exercitu vehementius terret. Afflixerit tamen proventum anni, abstulerit magnam fortunarum, quibus incubuit, partem, ceperit urbes, vexarit oppida: duram quidem & miserabile, fateor; tali tamen, quod summam belli nostri non tangat. Libertas est, religio est, pro quibus pugnamus. Quæ nobis quamdiu intercepta non sunt, nihil amissum putari debet. Non solent constare vili maxima: & quid religione, quid libertate præstantius, excellentius, divinius in rebus humanis? Quæ non fortunis ac bonis tantum, sed vita ipsa ac sanguine strenui redimunt, si teneri aliter ac possideri non possunt. Constant idcirco vota nostra sibi, rataque sunt, & quæ superiore anno cepimus gaudia, continuamus. Quorum quod nunc interpret quasi in splendidissima ista cathedra, unde tot maximos viros ante non raro verba fecisse memini, constitutus sum, etsi id mihi gratuler honorique ducam, non possum tamen non trepidare, cum tantæ Provinciæ sustinendæ me, nec ingenio, nec eloquentia sentio parem. Non est de literis afferendū aliquid, sine quibus ingratham ac injucundā vitam omnem statuo: non & dicendum de Sapientiæ studiis, siue hæc nata in porticu sit, siue in nobili peripato

B

edu-



educata: aut in florentibus etiam & planè divinis Academi filvis. De his si verba facienda essent, timere aliquanto partius possem. Cum mediocre quoque ingenium, modò industriam adhibeat, sufficeret: & totum negotium leni quodam & sponte nato dicendi genere expediri posset. De pugnis, de præliis, de captis & perditis urbibus, de amissis Provinciis & restitutis, ut breviter dicam, de pace ac bello, fœderibus atque victoriis, die hodierno dicendum est. Quæ omnia sicut Regum Principumque negotia sunt, ita humili plebejæque oratione celebrari non debent. Ita enim habeo, ac animum induco meum, nisi par rebus afferatur oratio, pondusque verborum ac gravitas negotiorum magnitudinem æquet, non prædicantur & commendantur facta præclara, vituperantur & oblolescunt. Ac si præclarè de iis nemo dixerit, quæ minus capiat atque intelligat; ecquis de tantis rebus cum laude faciet verba, nisi qui aut ipse gresserit, aut interfuerit certè gerentibus, ac si assueverit tantorum negotiorum majestati. Ego verò qui peregrinus aularum, & nunquam in Regum ac Principum rebus versatus, sed procul à sceptris ac purpurâ, procul à negotiorum strepitu, & illo bellorum pulvere, inter Musarum recessus tacitos & innocentes, & literata hæc otia, quæ nulli movent invidiam, ad hoc ætatis pervenerim, non quidem illustrem ac splendidam, nec tamen obscuram & lordidam vitam trahens, tantum abest, ut ausim de tantis rebus orationem dignam promittere, ut planè desperem. Quicquid tamen est, ineptus ac indisertus haberi malo, quam parum morigerus vestris jussis, qui voluistis me quædam dicere pro hujus diei solennitate. Quæ licet à nostra voce atque industria

istria



stria vix quicquam lucis sperare poterit, negligenda omninò tamen & transmittenda silentio non fuit. Nemo sanctiora arma dixerit, quam quæ invitis capiuntur: cum non de limite ac territorio aut provinciâ quâdam controversia est; sed libertas, sed religio cernitur: præ quibus totius orbis opes meritò sordent. Quæ custodire atq; asserere, quoquo possumus modo, ut summa pietas; sic vim repellere vi, antiquissima naturæ lex semper existimata fuit. Cæterum sapientes reliqua omnia experiunda statuunt, priusquam cum bello mutetur pax. Et quid non, quæso, à nostris tentatum fuit, ut pacem, ut quietem haberemus? Quot miserabiles conceptæ preces, quot accuratissimæ obtestationes per literas, Nuncios, Legationes amplissimas, immensis & vix supputandis sumptibus institutæ sunt? Nullo alio pretio, quàm ut postremò in nos torqueretur fulmen, quo tot provinciæ hætenus, tot florentissimi populi conflagrassent. Atq; ab eâ destinatum manu, cui vix nostris opibus reddita erant, quibus exciderat scriptis, novo planè & ad omnem ætatem memorabili referendæ gratiæ exemplo. In hoc articulo positis, ecquid superaret aliud, quam ut corriperentur arma, & fœderatis viribus commune periculum propulsaretur? Et sunt correpta illa quidem, tamen ut penes solum hostem bellum maneret. Qui jam deletâ Magdeburgo plus quam Stygiæ crudelitatis exemplo, Thuringiam, quacunq; patet, opulentissimam regionem, pervagando, prædis latè fundebat terrorem, quietis nostris; ne magis irritaretur tristis furor. Et jam lucebat nova spes, componi posse negotium citra sanguinem ac cædes, quas bonus quisque detestatur. Est hæc jam olim calidioribus usitata ratio, ut cum verentur ne arma repri-

man.



mantur armis (quorum eventus in dubio est; & penes parvam manum sæpè prosperrimus fuit) humanitatem quandam simulent, & ad fictas pacificationes descendant, ut, dum colloquiis trahitur tempus, occasiones gerendæ rei prætervolent, & animorum elanguescat impetus, sensimque delinitis & inescatis velut objecta pacis spe socordia segnitiesque, ut solet, irrepat. Quo fit, ut intenti ac vigilantes incautos facilè circumveniant, & sine magno negotio expugnet: aut obsequentes habeant, quos imbecilliores, certè minus paratos invenerint. Non alium certè luisse ludum adversarios, cum diem transactioni Francofurti dicerent, ipsa paulò post verum fides docuit. Namque dum alii legum formulis disceptant rem; ecce armatas cohortes adducit Tyllius, efficacissimas concludendi rationes scilicet, & non expectata umbratici judicis sententia, ferro definit litem, ac Merseburgum intercipit. Mox Lipsiam advolat cum maxima parte exercitus, & undiquaque claudit urbem primariam Misniæ, & mercibus studiisque sapientiæ per orbem notam. Vix unquam majus discrimen Patria adiit: cum longè impares nostri sistendo tot ferocissimarum legionum furori, nec quicquam spei in sociis esset, itineribus omnibus hostili exercitu insecutis aut interclusis. Et jam infauti nuncii ex Silesiâ ferebantur, denuntiantes novam in has provincias tempestatem bellorum brevi inundaturam. Nexâ ad istum modum pessimè fabulâ; intervenire velut Deus aliquis, qui nodum hunc solveret, Serenissimus Sveciæ Rex: & cum fortissimo exercitu ad Albim hunc nostrum confidere. Unde mœstitia ac metus aliis gratulatio ac gaudium oboriri; nonnulli inter utrumque cauti, nec exultandum ante tempus pueriliter; & cum



tum lugendum statuebant meritò, cum sentiremus mala potius, quam timeremus. Interim maxima pars ominari bene, & quodam animorum augurio vix dubitabant adesse fatale tempus, quo tandem intolerabilis fastus atque superbix, quæ modum omnem excesserat, pœnam solveret hostis. Sed Electorem Sere-  
nissimum magna distinebat consultatio, volventem quid in hoc statu rerum cum primis opus esset. Admitteret Regem & dextram jungeret? externa auxilia videbantur; suspecta plerumque & rarò prospera: cum sibi fermè, quam sociis pugnent. Nec fore finem inde bello, sed difficilior & diuturnior exarurum; nec nisi alieno arbitrio ponendum. Irritari vehementius Cæsarem, & minus placatum fore. In cuius solo nomine quantum esse momentum? Jam ad condiciones descendere atque transigere cum hoste, quantæ invidiæ, quando & præiudicio futurum! Solum autem periclitari aleam ac movere in hostem potiorum viribus, & præter veteranum militem tot victoriis innixum, magnæ videri temeritatis & præsentis periculo subiacere. Nec minora timenda, si recusata amicitia prohibendus transitu Rex, fulmen Ducis, perempturum invictæ virtute quacunque aditus non pateret. Non esse consilia maximorum Principum angustis metienda animis: qui in suspensiones plerumque proni, atque vel tuta timere solent. Et vix sinistri quid suspicandum de Rege, tanta virtute: Pomerania cum primis ac Marchia, Dominis suis restitutis. Post hæc astare quasi ante oculos videbantur Religio, Libertasque Patriæ, flendo, orando, obsecrando poscentes vindicias, pro tot miserorum millibus contra impotentes tyrannos. Et prodere eas atque deserere, quantæ impietatis?



Accedebant majorum exempla, Heroum fortissimorum, qui nullos labores, nulla discrimina defugissent unquam, cum avertenda servitus, cum sancta fides asserenda esset. Quorum invictæ constantiæ ac pietati deberi, quicquid floruius hætenus, priusquam obsæna hæc bella hac tanta felicitate nos dejecerunt. Et desperandum de pace penitus, nisi virtute & armis vindicaretur: quæ ipse quasi concederet, qui iusta negaret; nec lædere Majestatem imperii, qui non sibi, sed publico militaret. Id certè navaret operam, ne fundamentis penitus avulsis, pulcherrima Imperii moles corrueret. Hæc alternanti & disputanti cum animo, potius videbatur, ei se socium addere, quem hostem habere impium esset. Neque enim aliâ causâ venerat, quam ut libertas nostra & sancta religio, interceptæ improborum vi, redderentur nobis: quâ lege & fœdus tandem convenit. Felix dies, & omni memoriâ temporum habenda sancta ac venerabilis, qua duo maximi Principes junxerunt dextras. Non ut facerent miseros, sed ut vetarent tales esse imposterum, qui nullo suo merito hætenus fuissent. Non ut cæci ambitione & avaritiâ aliena invaderent ac prædarentur, sed redderent potiùs legitimis possessoribus, quæ vis & nequitia ademisset; non oppressores Libertatis, sed instauratores: verè auctores ac principes publicæ omnium felicitatis. Quod justius unquam aut sanctius fœdus pactum legimus, ex quo fides gentium & amicitia certis legibus ac ceremoniis sanciri cepit? Quamquam nescio, magisne pietatem Principum, an magnitudinem animi mirer. Vix dum perculsum fœduserat, & agebatur de prælio. Nondum curatus ex itinere miles, & statim adoriri hostem placuit,  
in-



integrum, munitum operibus, & jam post occupatam Liptiam idoneis locis insidentem: denique & viribus potio- rem. Credo profectò, divini Principes, æternum illud, & quod omnia moderatur Numen, quo cum semper vobis quoddam potestatis consortium est, tum quidem præcipuè se vestris miscuisse mentibus, & hæc consilia, hos tantos animos aspirasse. Constitit erat contra, tot legionum robur, duratum bellis, firmum opibus, elatum tot victis præliis, quod insuperabile hæc- nus visum esset; & tamen placuit pugnare. Non Sol pro vobis, non ventus erat: quæ occupaverat hostis, ne armis tantum, sed elementis ipsis pugnaret. Sedit ta- men, quod semel placuerat, suggestu Numinis: nec de- speratum de victoriâ est, quæ à solo DEO venit, qui unus omnia, & supra omnes. Qui ut vinci non potest ullâ vi, infinita potentia; sic nec metuere finit, & dubi- tare, qui ejus secuti auspicia armorum aleam jecerunt; maximè, ubi pro ipso pugnatur. Interim venerat VII. Iduum Septembris, paucis horis multorum annorum ultura improbitatem, quæ tot Provinciis, tot populis hæc- nus insultasset impunè. Venerat, & jam utrim- que stabant in campum productæ acies; flos bellato- rum, & vera Martis proles. Fixæ primum, & tristi si- lentio, vultu, lacertis, pectore colligentes iram, in diras procellas mox erupturam. Ubi signum conflictui da- tum, ferro ac viribus omnia licuere. Hinc vul- nera, cædes, spolia, terror, furor omnia miscere. Stare aggestis cadaveribus humus, cælum pul- vere, quo & fallebat ignavia & virtus, absconde- batur. Pugnatum acerrimè horis quatuor, fortunâ dubiâ, iniquiore tamen initio nostris; cujus mox cum pœnituit, cum plena victoria in nostras



transfret partes. Tum fusus, profligatus, armis, signis, machinis, omni apparatu belli exutus, terga vertere hostis, & quaquapoteſt moliri fugam; tantâ velocitate & desperatione, ut simul belli areâ & totâ Provinciâ penè excederet. Rex noctem eam, quæ diem pulcherrimum exceperat, in campo & caſtris, quibus egerat hostem, commoratus, victorum more, primum laboris fructum carpit. Mox fugientem hostem, quanta vi poteſt, ſequitur, cædit, ſternit; oppidis, urbibus, arcibus ejicit: quaquapoteſt venit cum bonitate fortitudinem; victoriam cum clementia miſcet. Ut ſuperatis hoſtibus ſui non minus victor eſſet, quo nihil divinius aut excellentius habendum. Vix liberata Miſnia erat, & nihil metuebat Thuringia. Hinc levata Franconia eſt, in partem & caſtigata; quæ nempe cum hoſtibus erat. Tum Moeniæ domito, ad ipſum fluviorum patrem ac principem Rhenum proceſſus factus. Quem ubi tranſiſſet victor maximus, non eum ingens Danubii flumen, non Lycus, ut rapidiſſimis undis veheretur, ruentem ſiſtere potuit, & prohibere fatum, quod imminabat Baviæ, deſtinate pœnis: quas tot extorribus miſerisque, quos fecerat, debebat. Quas res ut raptim maximè perſequar, vix tamen oratio æquat celeritatem, quæ geſtæ fuerunt; ac mihi ipſi vix credo narranti. Laboraret & apud poſteros fides, nî à videntibus legeret narratas. Quod fulmen tanta velocitate emicat, auditur, ferit, quæ tu, INVICTE REX, progreſſus à tuo Oceano, cæſiſti tot validiſſimis exercitibus, tot munitiſſimis caſtris, urbibus expugnatis, in Rhætiam uſque & ipſas propemodum Alpes, victor ubique & triumphator improbitatis, vix anni unius ſpatio, perrupiſti? Ergone tot Pegalos, tot Bellerophontes

tes



tes tuis alebas turmis, quot ibi militabant equites: aut tot alatos Dædalos, quot tuis sub signis pedites ducebas, ut non tam progredi bellis quam volare videreris? Nihil procrastinandum Alexander statuebat, Philippi filius, urgebat, ruebat, fulminabat. Non tamen majore velocitate penetravit Asiam, & florem terrarum ignavis, ac maximam partem deliciis ac luxu effœmitatis possessoribus ademit: Magnus revera, & plus quam homo, nisi demens fastu & tantis lymphatus successibus, Deus voluisset videri; certè natus DEO: parum cogitans, de optimâ ac pudicissima matre impuram pellicem facere, & semet ipsum vitio natum. Recuperatâ interim ab Elctore Lipsia, rectâ in Bohemiam transitum, hiberna militi & cætera præbituram. Citra discrimen & nullo penè negotio ac feliciter prorsus, nisi opulentia regni, & tot ex illa voluptates exitio fuissent. Quæ primum solari visæ labores belli atque itineris; mox usurpatæ improbius, plus invexere cladis, quam vix hostile ferrum potuisset. Dum luxu afflictis corporibus decedit vigor, languor, infirmitas, morbi succedunt: & his manantibus, infinita strages. Quæ ne hauriret totum exercitum, relinquenda videbatur suis copiis infesta regio: & jam Friedlandius nova belli mole superveniebat, quam sustinere nostri vix possent. Nec tamen impunè cessimus; testis Praga, regni caput. Nec fuga, sed iter fuit, cum copiæ nostræ reducerentur; transituræ brevi in Silesiam, ne amisisse quid videremur. Ibi cum omnia rectè procederent fortibus, & jam pudore conversis in iram, nostræque cum maximè florent res, illicò novus turbo Thuringiæ Misniæque incubuit; cum Wallensteinii miles Francorum ac Variscorum jugis diversis itineribus degressus, vasto im-

B 5

peru



peru se eò effunderet; terrorem, rapinas, incendia, impunè circumferens, quacunque eum libido effrenis & impotentia furoris barbari ageret. Tristis ubique rerum facies, & penè conclamata patriæ res: nisi id eò pertinuisset, ut denuo hōsti insignis magnificaque victoria eriperetur. Comperto enim de ausis Friedlandini Rex, irā ac pietate ardens, properando vindicias & auxilia sociis, cum lectis copiis illicò advolat, quā potest celeritate: & nactus ad Lucenam hostem non procul Lipsiā, fatali urbe, congressus ex itinere, vincit. Primum in acie fortissimi ducis & militis officio functus; cœlo deinde recipitur: cum eò subvecta pleno triumpho invicta anima, ex quo jam domum ac instrumentum ejus, quo tot ingentes res, inusitato virtutibus exemplo gesserat, deiecisset hostis, amplexa DEUM, & tot labores improbissimos, quos pertulisset hactenus, recensens; simul & vulnera, quæ recens acceperat, pro gloria ejus militans, & adhuc sanguine manabant, oltentans, orando & supplicando, suis victoriam impetraret. Expectatis fortè, AUDITORES, me servituum hic scenæ, mutatâque personâ & interrupta gratulationis serie, ad mœstum murmur & querimonias flebiles transiturum? non faciam. Nec excitabo tamen inter mortuorum Stoicorum porticum, & expugnator naturæ communis in saxa & scopulos genus convertam humanum. Fleant, doleant, gemant homines: non veto. Modo in alio funere id fiat: in Rege locum non habet, & nefas propemodum est. Cujus sicut divina virtus fuit, & modum omnem transgressa longè, ita supra omnes lacrimas est, & veneratione solâ prosequenda. Ergonè planctu ignavo Græci Leonidem suum honorandum putarunt, cum in Thermopylarum faucibus ingentem animam



animam pro libertate Patriæ fortissimè pugnans, in liberum aëra (cum cætera jam teneret hostis) exspirasset? aut Epaminondam quoque, cum nobilissimam illam ad Leuctra victoriam pulcherrima morte civibus suis peperisset? Minimè verò. Et nos fortissimi Regis fatum, nos Imperatoris maximi, & ut sic dicam, virorum viri memoriam officiis muliebribus recalem? Mirabimur potius virtutes tantas, & capiemus exemplum indidem, quos debeamus Patriæ animos, quo pretio nobis paranda libertas, qua via atque itinere ad decus, ad gloriam, & quandam perpetuam ac immortalem vitam progrediendum. Longè profectò aliter, **AUDITORES**, de maximi Regis morte judico, quam vulgus solet. Quam tanto abest, ut infelicem & miserandam censeam, ut exoptabilem potius ac beatissimam putem. Finitur inter fœdos vermes Sylla; superstes suo cadaveri: in Curia Cæsar opprimitur scelere; vino & crapulâ Alexander excludit animam, putes aut nunquam fortes fuisse aut infelices. Cæteri qui inter tormenta morborum, & anxias pro hærede curas, inter querelas & lacrimas ignavi cujusque & maximè mollis, ægrè atque cum indignatione ac gemitu dimittunt spiritum, defixi lecto inutiles, quid habent quæso, quod admirationi posteritatis aut exemplo cadat? Quanto præclarius & excellentius & omnis ævi veneratione dignius est, inter clangores tubarum & tympanorum strepitus, incitamenta virtutis, inter fremitus fortissimi cujusque & maximè strenui, in conflictu & acie, & medio fortitudinis theatro, stando, nitendo, decertando cadere, atque invictam animam, non morbi extortam vi, sed virtute atque constantiâ exactam reddere Creatori, ac eo ipso momento quidem, quo pro eo pugna-



pugnatur? Quod genus mortis, quo magis declinant ignavi ac fugiunt, hoc minus timent, & optant quasi maximæ quæque animæ. Quæ nusquam vitam statuunt, quam ubi virtuti ac fortitudini locus est: in qua sola ducunt spiritum, & se victuras perpetuò præsumunt. Videor, AUDITORES, coràm astantem intueri maximi Regis speciem, augultiores humanâ, & majus, quam ante, circumcirca fundentem lumen, atque in istum modum plena divinæ majestatis voce audire loquentem: *Si mihi tantum aut meis me statuissem natum, non vobis quoque, GERMANI, & generi humano, abstinuissem armis: certe non traiecissem Oceanum, domi potius atque in regno meo oblectassem genium, multorum principum more: & quicquid, aut ad splendorem fecisset aut voluptates, fuisset sectatus. Longè alias boni principis partes, alias Nepotis cujusdam esse semper duxi. Itaque non tam deliciis ac luxu inerti, quam virtutum studiis occupavi etatem. Quibus solis divinam naturam homines amulantur: cuius præcipue exemplar esse Princeps debet, qui Dei vices gerit, & ejus quasi Legatus in terris est. Puer eram, certè vix adolescens, cum pro Patre & Patria steti in armis. Admotus sceptris, id impetravi virtute meâ à Moscho, ut fœdus & pacem æternam mecum faceret. Reductâ ad officium Livoniâ, pro securitate regni & decore Polonis intuli bellum. Qui pertasi armorum cum pacti essent inducias, laboranti Germania, quod diu optaram, succurri: vicinus, & sanguine ac affinitate ei innexus Princeps. Quo locores ejus, loquebantur miseria. Quid ego contulerim post plura alia, victoria dicet, quam meo sanguine emi vobis. Quid majus, aut petere vos, aut ego potuissem præstare? Plus certè nec Suecis meis debui, & vobis impendi. Nec piget; nisi vos quidem pigeat, ingratos iis, quibus in me ademptus spiritus,*

tus,



tus, quo vivere debebant. Stabunt utrisque tamen beneficia nostra; sed inter concordēs, sed inter fratres. Majora quoque efficietis, si exercebitis artes, quibus hac peperī vobis. Fallantur, qui alia via ad libertatem, ad securitatem ac pacem eundem putant, quam qua constantia & invicta virtute aperitur, quarum exempla vobis reliqui. Sedendo & consultando, nemo res magnas aut gessit aut geret. Deliberato, sed & facto opus est, & sunt plerumque consilia optima, quae fortissima fuerint, & inter arma capta & campum. Non ego à vobis lacrimas, non ejulationes ac luctus postulo. Donanda aliis ineptia ista, qui nihil praecleari gesserunt in vita, ac ideo quoque lugendi veniunt. Major in me conferri honor non potest, quam ipse mihi praestiti, cum meo sanguine vestram vobis ab hoste communi emerem libertatem. Et durabit is certè, si ejus rei memoriā non tam picturis aut marmore, quae casus aut atas tollere potest, sed verò in animis vestris dedicabitis, qui exstingui non possunt, & aeterni sunt. Plura loqui non Regis, non Imperatoris aut Ducis est. Unum moneo, non fraudes vobis, non arma metuenda hostium, tunc, invicti, felices eritis, si pietatem coletis, & concordiam & me fueritis imitati. Post Regis mortem haesit non nihil nostrorum virtus, & ut attoniti solent magnis casibus, in semet ipsa stetit defixa. Mox ubi collegit se iterum, & exardescere in ultionem cepit animus, ferociente hoste & insultante undique, emicuit memor sui iterum, nec tuita tantum partum decus est, sed novas quoque ad oreas consecuta. Cum primis defensa strenuè Silesia, & magni ubique progressus facti, indignante frustra hoste, atque nequicquam resistente; postremo, cum inducias peteret, & metuente. Jam dedita Hamelā & partā insigni victoriā, quanta ad nostras res accessio facta? Movebat lacertos denuo Bavaria. Repressa



pressa est atque cohibita intra ruinas suas. Pugnando feliciter vel in Helvetios prolata arma. Ingressi & Lotharingiam sumus: quietam atque felicem, ni dedisset turbas, & prior laceffere voluisset ac lædere, nulla injuriâ provocantes. Hæc gessimus duobus proximis annis, AUDITORES; magna profecto & digna cumprimis nobilissimæ gentis decore, si in hostico & extra patriam fuissent patrata. Quæ sola bella triumphos habent: nam in civilibus, plus culpæ atque flagitii, quam veræ laudis ac gloriæ inesse solet. Et supersedere tamen iis, non semper in nostra est potestate. Nam quis perpetuò ferat injurias, quas jure ulcisci poterit? & nemo optaverit præ bello pacem, quæ libertatem religionemque intercipiat. Quæ quod è mediis hostium faucibus erepta assertaque virtute nostrâ hæcenus cernimus, quantum indulgentissimi Numinis beneficium est? Fuit profecto nobis res non modò cum potentissimo & tot regnorum tot conjuratorum opibus fulto hoste, sed cum versutissimo ac vaferrimo longè. Ut sicut resistere tantæ vi, summæ virtutis; ita tot subtilissimos astus, tot calliditatis machinas effugere, singularis omninò felicitatis existimandum sit. Quæ cum minus suppeditaret Romanis, inferiores semper fuerunt Hannibale callidissimo Ducum: utcunque eum virtute bellicâ viderentur præstare. Donec cunctator Fabius, Punicos astus Romanæ misceret fortitudini, & suis met artibus hostem vinceret, brevi in ipsâ urbe sua atque imperio debellandum. Quo magis laudanda ineffabilis Dei bonitas, & pro divinâ hujus diei victoria reddendæ gratiæ ipsi ac laudes. Ex eâ enim successus nostri omnes manant, quos consecuti deinceps sumus, & quasi flumina, à capite suo feruntur ac fonte.



fonte. Qui quanti sint, inde potest constare, quod annis duobus recuperata nobis sunt, quæ vix duodecim ipsis eripi, & quidem inermibus maximam partem, certè non satis instructis potuerunt. Multum incomparabili Regis virtuti debemus, nec potest cujusquam pietas dignam usquam ei rependere vicem, licet quàm maxima fuerit, & tamen Deus hic primum, secundum, ultimum est: sine cujus ope atque virtute, tantæ res, imò tanta miracula geri non potuissent. Fuit profecto admirabilis illa victoria Theodosii, qua vicit Eugenium: cum cœlum ipsum in ejus militaret partibus, & velut Sacramentum dixisset ventorem alæ ad clasifica ejus convenirent. Sed plus miraculi habuit hodierni diei pugna, cum contra tantas vires non modò, sed Solem ipsum ventosque ac pulverem steterimus, pugnavimus, vicimus. Ut posset constare non satis esse valere armis, & ipsam naturam præoccupasse callidè, nisi naturæ auctor ac Dominus pertractus in partes. Qui, cum à nobis staret, nihil, neque armorum violentia, nec elementorum auxilia, contra valuerunt. Sed illo uno prælio Theodosius & debellavit Tyrannum, & pacem peperit Italiæ. Nos præter illud insigne, & aliorum victores, nondum quietem possumus invenire, fatali quadam infelicitate bellorum civilium, quæ, quod injustiora plerumque sunt, eò majore vi ac pertinacia geri solent: nam sola virtus modum habet. Ausimne hoc loco te alloqui, FERDINANDE, quem Cæsarem, quem Imperatorem agnoscimus; hostem deprecamur? Quem ô laborum finem dabis, Princeps maxime, & recreabis fessam Patriam, quæ nisi maturè fulciatur pace, stare non potest. IMPERATOR es, AUGUSTUS es, CÆSAR es: & ne commemorem tantum;



tantum, in quæ assumptus es nomina, AUSTRIUS es, in quod natus. Tuenda tibi hæc decora sunt: sed pace, sed moderatione ac clementia, nam vi ac bellis exterruntur. Quantum profusum sanguinis? quantæ consumptæ ac perditæ opes: quibus Imperium orbis emipoterat, nisi impensæ in civile bellum essent, & ut tu miseris imperares? Vides ruinas urbium, cadavera provinciarum, artes, munimenta regnorum, inolescens per militarem licentiam vitis, & rerum potiunte barbaria, velut in exilium actas. Quam labem si porrò grassari permiseris in viscera nostra, ecquod habebis Imperium, quos cives tandem? At pessimus quisque Rectorem asperrimè patitur, post hæc calamitosi ac miseri vix unquam pacati satis & quieti agitant. Quapropter revocanda pax est, quæ (ut opulenta bonorum semper) inopiæ publicæ consulat, & virtutum ac præclararum artium reducat studia, quæ bonos & obsequentes faciunt, ipsumque Imperium firmum & felix, & tutum contra externam reddunt vim, quo nomine præes & diceris, Imperator, FERDINANDE. Non detrectamus officium, sed servi esse non possumus. Habebis fidos & obsequentes, si permiseris esse: si digna præcipies nostra libertate, & quæ à piis possunt præstari. Neronis vox est, hoc est, bellum non principis: *Nemo sub Imperio liber est.* Optimi quique cum regno libertatem miscuerunt. Octavianus Augustus, maximus omnium seculorum Princeps, fundator Imperii, quod geris, FERDINANDE, abhorruit appellari *Dominus*. Recusavit Tiberius, cupidissimus aliàs dominationis, nullâ aliâ causâ, quàm quòd nollent mancipiorum esse principes, cum dominatus, nisi in servos non esset. Atque Augustum quidem civitas  
sua



sua & moderatio eò extulit, ut major humanâ naturâ, & DEO ipsi haberetur proximus, qui ita humanum genus regit, ut suam cuique voluntatem liberam relinquat. Deliberabat Senatus, quo honore ac dignitate nominis tam bonus, tam clemens, tam benè de publico meritis Princeps æternitati consecraretur. Censebant nonnulli vocandum Romulum, quod alter quasi conditor videretur æternæ urbis; Sed venerabilius & sanctius visum *Augustum* appellari, ut jam dum *coleret terras*, inquit Florus, *ipso nomine & titulo consecraretur*. Quis est *Augustus*, Imperator Serenissime, nisi qui auspiciato imperat, atque cum incremento omnium commodoque, qualis Augustus fuit? qui positis bellis civilibus, & pace per universum orbem constitutâ, tantæ felicitatis auctor Romano populo existit, quantæ post nunquam, nisi sub eo fortasse, fuit, qui appellatus *Optimus*, communi cum summo DEO nomine, qui non Maximus tantum, propter infinitam potestatem, sed & per bonitatem immensam *Optimus*, à religiosis colitur ac nuncupatur. Eris revera AUGUSTUS nobis, FERDINANDE, si ad exemplum ejus reddideris pacem, qui primus meruit tam sanctam venerabilis nominis dignitatem. Eris & CÆSAR, si non tam bello ac armis, quàm benignitate atque clementiâ maximus laboraveris esse, quæ propria Julii laus fuit. Adeo, ut nemo tueri Cæsaris nomen, nisi cum istâ gloriâ, possit. Qua solâ inimicos vicit: & sibi conciliavit firmissimè, qui antè fuerant hostes. Præ qua & vitam ipsam contempsit, cum diceret *se mori malle quam timeri*. Non insidiamur vitæ tuæ AUGUSTE CÆSAR; vivas, precamur, & diutissimè imperes, modò nos non patiaris opprimi invidiâ odioque inimicorum.

C

Qui



Qui non imperio, non Tibi student, cum præjudiciis iniquissimis causam nostram onerant, sed cupiditatibus suis velificantur, quæ modum ac finem non habent. Jam quot nunc seclis celebratur Austriorum lenitas, & incredibile pacis studium, quo tui majores excelluerunt? Ex quibus præcipuè nominamus FERDINANDUM, Avum tuum, Imperator, cujus & nomen cum Imperio tenes; item MAXIMILIANUM patrum, ejusque filium RUDOLPHUM, divinos principes, quibus quid mitius quid moderatius in summa ista fortuna fuit? Cæterum pacis tam studiosi, ut illis unicè debeat, quantacunque quiete & tranquillitate licuit frui, priusquam inauspicata hæc bella nos oppresserunt. Velis, nolis, Imperator, à te abire, non potes. Non reprehendimus in te tuendæ & propagandæ Religionis ardorem: hoc optimorum principum est, ut pietatem curent, à qua universa spes pendet publicæ felicitatis. Non domi, non foris aliquid prosperè geritur, ubi negligitur Deus, & pietate collapsa omnia ruunt. Perdidit Deos, priusquam periret Troja; & cum in ignes consideret Ilium, excefferant adytis omnibus Dii. Sed adhibenda cautio, adhibendus & modus est, ne fortè transcendat limites Religionis studium, & superstitio atque immanitas fiat, quæ pietatis sibi nomine blandiebatur. Tota animorum res est Religio, suadenda igitur, non cogenda. Suadenda rationibus & scripturarum auctoritate; non bello & armis propaganda. Corpora vis & potestas subigit: animis nemo imperat, quàm qui amore ac benevolentia fecerit suos. Cæterum solus Deus iis dominetur, qui & solus placere potest, si quid peccaverint, vel sponte suâ vel ab aliis decepti. Non creditum aliter in vetustis-



tutissima Ecclesia fuit, non aliter partes sanctissimi docuerunt. Quibus cum & ipsa Concilia subscribant, quid est, quod tantorum Virorum auctoritati diffidere velimus? Non audiendi Tibi sunt, Imperator, percussores Principum, parricidæ humani generis, incendiarii orbis terrarum, qui nullas in Republica partes habent, quàm quæ turbandi & evertendi sibi ipsi sumpserunt, qui non nisi innocentum sanguine vivere, non nisi bonorum ruinis stare possunt: qui nescio à quo Lojola inauspicato partu editi, & in exitium commune sinistra quorundam liberalitate educati, in copias innumerales, locustarum & scarabæorum instar, quæ totum sæpè annum evertunt, increvere: Hi, Imperator, audiendi tibi non sunt, cum de concordia & pace nobiscum ineunda consultas. Admittere debes in consilium tuum viros sanctos ac innocentes, irâ, odio, invidiâ vacuos; Patriæ, Civium & publicæ magis felicitatis, quam commodi sui studiosos; qui nihil aliud cogitant sentiuntque, quàm quod iustum, quod verum, quod profuturum publicè, & dignum tanti Imperii maiestate, quod & ipsi in parte administrant. Temet cum primis cum tibi vacas, aut maiores tuos incomparabiles principes in exemplum proponis. Vide quæso, Imperator, vicinum Galliarum regnum, quibus, proh Deum, quassatum procellis, quibus concussam tempestatibus semper fuit, cum sæviretur in eos cives, qui à Romanæ Ecclesiæ ritu abiissent; quod nunc pacatum ac felix, ex quo Religionis libertatem omnibus Christianissimus Rex indulxit. Quid, quæso, distraxit Belgium, divellitque à Capite robustissimam ejus partem, quam inconsideratus Zelus, ac planè præposterum studium Religionis? Ac libertatem eam,



quam semel armis ac sanguine sibi emit fortissima natio, quibus successibus expugnare aggrediatur hæc-  
nus potentissimus toto orbe Hispaniarum Monarcha,  
minimè ignoras. At quantam orbis partem Batavi co-  
lunt? Ne longè ab eam, quam beati ac felices agita-  
bant Catholici per Germaniam contenti suis, & non-  
dum ferro ac vi aliena invadentes, qui tunc, ad arma ubi  
ventum est, vix sedem certam in ea habent? Ex quibus  
intelligis, quam necessarium sit, de pace atque concor-  
diâ cogitare maturè, quibus ut floruerunt antè, sic &  
servari impofterum cumprimis possunt. Magna po-  
tentia tua est, Imperator, & digna quam prudentes  
metuant; sed neque nostræ contemnendæ vires. Quæ  
si minores fuerint, ab ipsa causâ robur & incrementa  
fument. Ecquid non audet ac potest semel tuendæ  
Religioni ac libertati penitus devotus spiritus, & in se  
ipsam collecta virtus? Quæ tum cumprimis bene solet  
sperare, cum spei vix quicquam superest, & destituta  
cæteris jam ipsa necessitate armatur. Multis potentia  
dedit verba: & victi plures, quod se invictos statue-  
rent. Vitro fortuna si milis: cum maximè splendet,  
frangitur, & ubi minus eventus, quam in bellis respon-  
det? Quare tum maximè tempestivum cogitare de pa-  
ce, cum utraque pars, quod metuat, habet; & despera-  
tio nondum lymphavit animos, & velut furiis quibus-  
dam instinxit. Tum nihil æquabile expectandum,  
& malè coïre inter victores ac debellatos gratia solet.  
Firmissima semper pax fuit, quæ minus coacta, & inter  
confidentes inita, aut pares. Sed peregrini, ajunt  
nonnulli, dominantur in Germania, & possessiones in-  
vadunt Imperii, qui nihil ibi juris habent. Sint peregri-  
ni Sueci ac Finni, & quotquot alios in miserorum so-  
latium



latium armavit Septentrio. Peregrini, inquam, sint, sed quid si peregrinorum artibus irritati? Quantum Italarum, quantum & Hispanorum patriæ accubat, & nostro saginatur sanguine, ut sint, qui lenitate tuâ abundantur, Imperator, ac freti Majestatis tuæ viribus nobis insultent? Quid? an cives istos & quasi domesticos Imperii dixerim? imo multò magis alienos, quam ulli Sueci ac Finni, Gothorum traduces, & nondum degeneres virtutis patriæ, quæ olim toti terrarum orbi terribilis fuit. Qui profectò, si verum fateri, si credere antiquitati volumus, planè nostri. Vide linguam eorum, Imperator, & eam, si lubet, ac huc descendere licet è tanto culmine, cum antiquissimâ Teutonum contende, vix mutabit, & penè erit eadem. Vide Germaniæ limites, non quibus inclusa hodiè est arctis atque angustis, sed quibus olim descripta fuit, cum in Septentrionem ultimum porrigeret terminos, & omnem Daniam, omnem Norvegiam ambitu suo complecteretur; tum certè Finni, tum Sueci, ut luculenti auctores testantur, planè nostri erant. Itaque peregrini non sunt: certè minus quam Itali aut Hispani, quibus nihil cum Germania commercii est. Quod si Hispanos ac Italos cives Imperii cernimus, quidni & Suecos pateris linguâ & origine Germanos? Habitant olim inter nos Boji Gallica gens: habitat Lechi progenies, quæ à Scytis ipsis genus ducit. Nemo quæritur, nec quicquam dedecoris inde ad Imperium accedit. Et Sueci addicti Majestati tuæ aut amici esse poterunt, si eos sancita pace, vel cives vel foederatos tibi ac sociis reddes. Quod si maturè feceris, vix aliquid tibi aut tuis decedet: & quicquid illis reliqueris, magnitudine quadam animi, tuum non minus, quam antea erit. Non ad ex-



tremam impellenda est fortissima natio. Quicquid aut  
 in fœderibus, aut in se virium habebit amplius, tuendo  
 decori gloriæque partem impendet. Quicquid adhuc  
 inter saxa & scopulos educat pubis firmæ, solidæ, fri-  
 gore ac pruinis duratæ, non luxu, non voluptatibus  
 fractæ, hoc omne, quæ ejus constantia ac pertinacia est,  
 in te, quod omen avertat DEUS, armabit. Quæ si  
 defecerit, ipsas rupes & glaciem, & illum hybernium  
 Oceanum in nos effundet. Quâ quidem ex re, quid  
 in Imperium commodi, exhaustum jamdudum viri-  
 bus, opibus spoliatum, & ipso propemodum spiritu  
 privatum, redire poterit, latere minimè divinam pru-  
 dentiam tuam potest, Imperator. Omnium virtus ma-  
 xima est, se ipsum vincere, & dignus imperare omnibus,  
 qui sibi dominatur. Fueris læsus, majoris animi est,  
 ignoscere quam vindicare. Præcipuè ubi excesserit  
 fines ultio: & jam grassatur latius, quam pertinet culpa,  
 ac noxios pariter, innoxiosque una involvit ruina. Satis  
 iræ, satis dolori datum sit, revocandus tandem animus,  
 ut clementiæ rursus, ut sibi vacet. Non Provinciarum  
 excidiis majestas, sed paucorum suppliciis vindicanda  
 est: & ita ruendum decus proprium, ne anteponi vi-  
 deatur publicæ saluti, quæ summa ac suprema lex est.  
 Detestabatur arma civilia Otho: volebat Vespasiano  
 Vitellius cedere: non, quod destituti viribus, quibus  
 satis validi erant; sed ut consulere publico, & par-  
 cerent sanguini Civium, quos salvos felicesque potius,  
 quam perire aut miseros esse cupiebant. Sit tam præ-  
 clarus animus his, alias non ita bonis, principibus  
 fuit, quanto magis id Tibi, IMPERATOR  
 AUGUSTE, ut optimo Principi elaboran-  
 dum, ut pacem civibus tuis præstes? Detestaberis igitur  
 bella



bella impia, & tantum ad vastitatem & perniciem parata; pacem probabis, & reduces omnibus verè auream, & quoddam penu omnium bonorum. Sic, Imperator nobis, sic Cæsar, sic Augustus eris, FERDINANDE, & quod transcendit ista omnia, verissime Christianus. Quod nomen non nisi amorem, nisi pacem, nisi concordiam spirat, neque enim aliud ipse magister noster, ipse auctor hujus vocabuli conditorque, in terris aut docuit unquam, aut inculcavit magis, quam pacem.

At tibi, Elector Serenissime, JOHANNES GEORGI, Pater Patriæ, quas laudes, quas dignas gratias persolvemus, auctori hodierni gaudii ac dedicatori? Non perduellis cepisti arma, non contra Cæsarem: pro libertate ac Religione reprimis bellum, quod tibi ab aliis illatum fuit. Non læsisti majestatem Imperii, sed vindicare contra improbos constituisti. Quid? an nudum Electorum Principum nomen est? an nulla commissa eis tutandi Imperii cura? Frustranè Imperii Ensis traditus Tibi, & ut perpetuò vaginâ conditus lateat? Stringendus vibrandusque est, quodcunque libertas nostra & quies periclitantur. Nam & Trajanus Imperator, cum Saburano Præfecto Prætorio insigne potestatis pugionem traderet, tibi, ajbat, istum in munimentum mei habe, si rectè agam; sin, in me potius: quod moderatorem omnium errare minus fas sit. Memor officii igitur corripuisti arma, quæ patria ipsa tradiderat, ut dissipares justâ vi, quicquid injusta moliretur adversi. Sed quia solus impar eras avértendæ moli belli, junxisti te ei, qui pressæ libertati, pressæ Religioni, velut à Deo missus, vindex & sospitator cœm̄anis veniebat. Et cur non faceres, Summe Ducû, cû tot externa



foedera auxiliaque in hostibus pugnarent? Nec quis culpaverit vestra arma temerè, quæ Deus ipse probavit. Probavit autem, cum tantos successus, tot nobiles clarissimasque victorias vobis dilargitus. Macchè hac animi magnitudine, hac constantia, & pietate, DOMINE, nec dimoveri patere, priusquam tua tibi pignora salva teneas, quæ semel afferere extortis armis instituiti. Si quid incubuit hætenus turbinis nubiliq̃ue non est extincta eo felicitas nostra, offuscata tantùm est, maculis tempore eluendis: & conq̃assatio potius quam naufragium fuit. Certè ad virtutem stimulus & regimen quoddam: ne abuteremur nostrâ fortunâ, quæ ubi nimia est, & nullis interstinctâ adversis, plerumq̃ue evertit. Immotus ille ac stabilis, qui calamitates sustinet secundorum spe, & se in prosperis ita gerit, ut adversa incidere posse autumat. Cætera permit-tenda Deo, qui aufert & donat ampliora sapius majoraq̃ue ablatis. Non arma abjicimus, non detestamur bella, sed pacem optamus. Quid magis necessarium patriæ fessæ, exhaustæ, & nisi quiete foveatur, vix duraturæ? Sed pacem sinceram, sed fidam, non imponen-tem fucato nomine, & mox in fumos aut servitutem a-bituram; sed certam, sed tutam, atque in posteros trans-ferendam. Quò tantum profusum sanguinis & immen-sorum sumptuum factum? Quò tot labores maximos, tot acerbissimas toleratas ærumnas, nisi horum omni-um fructus nepotes quoque nostri carpant? Non no-strum tantùm habēda ratio, sed & eorū, qui olim ex no-bis. Ad quos non minus libertatē, quam cætera hæredi-tatis cupimus pervenire. Agricola ille serit arbores, quæ alteri seculo profint: boni non minus Principis est, cura-re præsentibus, & providere posteritati. Et tu profectò  
non



non patieris, Elector Serenissime, ut tanta hæc beneficia, quibus per te perfruimur, vitâ tuâ definiantur: quam sicut perpetuam, quamvis velimus, tibi præstare non possumus, ita longissimam & non nisi seris annis finiendam vovemus. Tu, tu videbis, Pater Patriæ, quid tuo, quid majorum tuorum, invictissimorum Principum, gloriâ dignum suscipias, quid utile Patriæ, profuturum posteritati: nos Cives tui interim, nos populus tuus, nos tuæ, tuorumque salutis ac perennitati devota pectora, & nunc & semper deinceps, id mortalem Deum non desinentibus votis orabimus, poscemus, flagitabimus, ut omnia, quæ pro salute Patriæ, pro libertate communi ac Religione, pro dignitate Imperii cogitabis, suscipies, ages, benè prospereque evenire sinat, ac ipse faveat beneficiis suis, nullis malevolorum machinis, inimicorum insidiis, vi ac impotentia hostium labefactandis. Ut proximi quique & omnes ordine sequentes anni, & hodiernis & aliis pluribus gaudiis, pace, concordia, tranquillitate ubique re-  
stitutâ, perpetuò exultent, floreat,  
triumphent.

D I X I.

C 5

ORA





## ORATIO TERTIA

SERENISSIMO & POTENTISSIMO  
ELECTORI & DUCI SAXONIÆ,  
D. JOHANNI GEORGIO I.  
OB EXOPTATISSIMUM EJUS  
ADVENTVM.  
NOMINE PVBLICO DICTA,  
A. clc. lcc. XLVI.

**S**I hæc induciaria quies, quâ pientissimæ tuæ sollicitudinis munus, SERENISSIME ELECTOR, præsentis auspicio Numinis has imperavit provincias, non alium nobis præstaret fructum, quàm post hos annos ipsos decem quòd subeundem te urbis tectis justissimæ gratulationis plausu excipere denuò; nec exoptato tantum divini aspectu oris cujus augustam dignitatem cana illa, sed viridis & inflexa maturitas, nescio quomodo, venerabilius & sanctius auget, avidè frui; sed & fortissimam dexteram tuam, unde tutela regimenque in omnes flexo, ut decet, adire genu, in devoti obsequii pignus religiosi osculis libare fas est; tam prolixus tamen & copiosus ille existit, ut solus sufficere videatur, qui cupidissimorum etiam avara quamlibet vota, aut vincat, aut certè absolvar. Nam quid per Deum immortalem presentiam Principis vel magis exhilaret fideles populos, vel juvet uberius? Hæc enim est, quæ statum cujusque atque fortunam & potentissimè tuetur florentem, & debilitatem atque dejectam efficacissimè erigit: dum in supremi Numinis morem majestas Principum, quicquid pro-



propitio dignatur intuitu, illud & beat. Malè mulcatur  
ager, in què rarissimè proficisci ut Dominus: aut in quo  
legni atq; umbratil. morâ d. fidet. Quamvis à primo ju-  
baris ortu in seram vesperam & operarum & iumento-  
rum desudet labor; quamvis arando terra proscindatur  
strenuè & offringatur ite. à lo prosc. f. deinde & con-  
seratur semine optimo; satisq; aspirent salubres auræ &  
felix anni tempestas; vix proficietur ad summam tamen,  
ni paterfamilia ad partes ipsemet veniat: qui & præci-  
piat opera & spectet: suaq; præsentia soletur facientes  
haud tantum, sed corrigat etiam; nunquam non manda-  
torum exigit fidem. Quid quod nec soli dignoscet in-  
genia, & qualibet regio, quid ferat aut neget, explorabit  
peritè, cum quid in quoque faciendum sit, rationes sub-  
ducet, ni omnes agri particulas omni tempore anni fre-  
quenter lustrat atq; circumeat. Nā licet nec studiū vil-  
lico, nec fides desit; fit tamē nescio quomodo, ut quisq;  
in rebus suis plurimū videat, & malè plerumq; expe-  
tat dominis, si servulos suos audiunt magis, quàm do-  
cent. Quid est Respublica, quā villa quædam maxima?  
Ubi patrem familia ipse exhibet Princeps: cæteri, qui  
funguntur partes, magistros, actores, operas repræsen-  
tant. Quorum fides atq; industria ne quid vacillet; atq;  
ut exploratis constet, qui status provinciarū, quæ vires;  
qui habitus civium ac sensus sint (quorum notitia ad pa-  
cis juxta ac belli regimen, mirum quā facit) non mi-  
nus utile erit invisere principem sæpius atq; obire regni  
partes, quàm patrifamilias expedit, inspicere agros, lu-  
strare conseptra, quid fiat aut omittatur operis cum cura  
exquirere. Ita enim & deprehendet sana validaque quæ  
sint; ut soliditatem iis det præsentia sua: & agra af-  
fectaque cognoscet, ut tempestivum remedium  
affe-



afferat. Quare quod disciplinæ rusticæ conditores  
 monuerunt verissimè *nihil in agro fertilius Domini oculo*  
*esse*; id in Repub. quoque habebit locum statuendum-  
 que omninò erit, provinciarum profectum maximum  
 in Principis præsentia situm. Nec id non pensi habu-  
 erunt optimi quique, qui præfuerunt rebus, & pro pa-  
 rentibus publico se meminerunt admos. Nam in  
 Augusto, maximo omnis ævi & sapientissimo Principe,  
 id luculenti scriptores mirati adeò sunt, ut inter cate-  
 ras laudes hanc sollicitudinem ejus ac curam dissimulan-  
 dam sibi minimè existimarint. Et Hadriani Imperi-  
 um, quid aliud prope, quam peregrinatio perpetua fu-  
 it inspectioque provinciarum? Quasi frustra in cæteris  
 æmulatus sibi Augusti videretur exemplum, si in hac  
 gloriæ parte deficeret. Scio, quid debeat majestati  
 Principum; & quàm profanæ audaciæ sit, positorum  
 in summâ fortunâ consiliari malle, quàm revere-  
 ri. Sed vehementer aut fallor ipse, aut sæpe necesse  
 est decipi, qui actus principum solâ externâ specie æ-  
 stimant; hærentesque in superficie nihil ulterius pu-  
 tant subesse. Altissimæ principum mentes intra re-  
 cessus arcanos rationes putant frequenter, quas curio-  
 sitati scrutantium dùm volunt subducere, sic solent in-  
 volvere, ut ex præsentî rerum, quæ geruntur, facie ni-  
 hil trahant omninò, & plane divertant. Itaque fit, ut  
 severissimis etiam curis lepidior aliquando inducatur  
 persona; & sub refectiois specie negotia ipsa explicen-  
 tur. Quod meminisse oblitus ille, qui ex amicis floren-  
 tis illius in Hetruria dominatus conditori, multa jam  
 luce nondum surgenti, marcentique adhuc ex somni re-  
 liquiis superveniens, castigandi principis arripuit caus-  
 sam; ad quendam torporem & parum virilem corpo-  
 ris



ris curam interpretatus quietis secretum, quod Reip. dederat, & omni corripientis industria vigilantius ac operosius erat. Est quidem, SERENISSIME ELECTOR, ubi cum influentibus negotiis fecisti paria, proprium tibi & acceptissimum omnium remissionis genus, in saltus, lataque silvarum indagine claudere, atque aut premere eqvo cervum æripedem; aut apro fulmineo congredi, & occupare irruentem ferro, cum nobilissimis bestiis nunc agilitate virium, nunc fortitudine haud contendenti aliter, atque si otii tui oblectatio sine sudore constare haud posset: aut recreationis haberet instar laboris cum labore mutatio: decantatissimæ heroum veterum disciplinæ ut reddas fidem, qui delicatam omnem cessationem, & ubi locus severiori virtuti haud esset, non remissionem ac otium; sed effœminatam mollitiem turpemque desidiam accipiebant. Viderisque in præsens, ut ex venationis medio cursu huc advolas, perinde venationem quærere, petiturus à nobis quoque solatium mulcendis laboribus, quos incredibiles hæctenus pro nostra quiete & incolumitate invictæ patientiæ robore sustinuisti. Non fallit nos tamen admirabile illud pietatis tuæ temperamentum, quo oblectationes animi à curis seriis haud separas; & cum virili voluptate Reip. usum perpetuò jungis. Dabis veniam, CLEMENTISSIME DOMINE, si curiosior fortè, quàm circumspectior videar. Sed cum sederet exoptatissimi tui adventus fructum indulgere nobis, illud, opinor, fuisti secutus, quod diligentes agricolæ (nam inde iterum mihi exemplum petere licet) solent: qui, ubi magna tempestas detonuit, & cœli pacatior status egrediendi reddidit copiam, in agros suos excurrunt illico,



lico, & quid nocuerit peperceritve procella & grando  
curiosè observant: ut aut vexatis maturè parent re-  
medium; aut perdita deletaqve quamprimum instau-  
rent. Itaqve alibi deducunt & siccant torrentes a-  
qvas: alibi decussorum ramalium stirpiumqve conge-  
runt strages purgandis locis est ubi erigant statuini-  
nentqve depressas & incurvatas arbusculas, aut novel-  
las ordinent, quæ desperatis fractisqve succedant: ni-  
hil non agunt deniqve, ut & honestas sua reddatur  
fundo, & constet utilitas. Neque ignoras, PROVI-  
DENTISSIME PRINCIPUM, quæ inimici fati tru-  
culentia, quæ impotentis turbinis vis incubuerit hæte-  
nus: quantumqve malorum invexerit nobis hic con-  
tumacissimus belli furor. Ergo cum jam redire nobis-  
cum in gratiam iratum videatur Numen; cum evane-  
scere incipiant nubes, quæ paullo ante tot tristitia cir-  
cum fulmina ejaculabantur tranquilliorqve fulgere se-  
renitas; ut coalescere distracta discant iterum, prostra-  
ta erigi, sanari lassa ac saucia, firmari stantia ac conser-  
vari (si modò quid stare intactum potest in tam vagata  
latè ruina) optimum judicasti, in rem venire præsen-  
tem, & tuis potius, quàm alienis oculis, quos falli atqve  
dormire non raro accidit, credere. Ac verò ne pigrum  
ac lentum veluti traheres iter, & in cujusdam pompæ  
effigiem mole tardissima proveheréce motum adden-  
dum profectioi venationis impetu censuisti. Conse-  
cuturus id quoq; in eo, ut commodare pietatis tuæ præ-  
sentiam, non vendere, aut imputare, videreris. Itaqve,  
nunc omnem limitem nostrum retia tua plagæq; occu-  
pant: ipse autem vigore atq; constantia juvenis, sola ca-  
nitie atqve consilio senex, latissimè circumvectus vici-  
niam duo egregia publico præstas. Simul enim saltus a-  
gros-



grosque noxiis liberas bestiis, ne spes vota que agrestium in novi belli speciem deinceps obsideant: & medicari ut possis necessitatibus nostris, clades ipsas & vulnera accuratissime recenses. Oportunum erat hoc loco, DOMINE, longum malorum texere ordinem, & exaggerata oratione movendis affectibus repetere ac percernere, quæ in fortunis suis quisque ac bonis damna, detrimenta, clades perpeffi haftenus sumus: sed hodiernæ gratulationis lætitia commemoratione ac odio tristitum corrumpi haud debet. Infringit enim gaudii vim calamitatum priorum recordatio. Nec frui satis videtur præsentibus bonis lætitia ingens, nisi his solis incumbat; & quicquid sui temporis non est, vel obliviscatur, vel certè seponat. Quapropter neque in universum quicquam ejus attingam; nec sigillatim nostræ urbis exacerbabo vibices ac plagas, quas ei communis fortunæ sævitia incussit. Et inculcare magnopere, quid attinet, quæ se in oculos ipsa ingerunt, &, ut dissimulare studeas, haud patiuntur regi, ultròque se produnt, ac quasi adeunt manum? Quicquid sit nihil tam labefactatum corruptumque est, vel tam afflictum atque prostratum, quod non in tuæ præsentis luce erigat se, ac incitet veluti recepto spiritu, inque novum & meliorem habitum levante dextera tua tetinet assurgere. Multum fiduciæ jacenti ex morbo additur, ad quem accedat Medicus & artis eximiæ & humanitatis peritæ: ut possit opitulari haud tantum, sed etiam velit. Is ergo cum levat clementer brachium, cum tangit venam sollicitus, aut manum pectori admovet, cum frontis orisque habitum inspicit; mox modum viri-um, quietis statum, quàm aut fastidiat, aut appetat stomachus, & diligenter, & multa verborum comita-



mitate exquirat; quâ spe se tollit ægrotus, & gestit potius, & quasi oblitus valetudinis se quam pulcherrimè prope habere putat. Nobis quoque, PISSIME PRINCIPUM, primum & maximum ad salutem, non signum magis, quam documentum certissimum est, quod vulnera nostra & ægitudines inspicere atque tractare ipse dignaris; quantumque sic nobis fiduciæ addis, tantum dolori & detrahis; ut licet sublata nondum sit mal' ipsius causa; sensus hebescat tamen, cum tam inpropinquo medicina appareat. Ita & vales ingenio, & longæ experientiæ disciplinis instructus polles, ut qui quam eorum, quæ ad salutem nostram faciant, nihil ignores. Tanta de cætero bonitas tua est, ut impertiri ultro velis, quæ sapientissimus animus tuus frug' fera nobis & salutaria providit semel. Quæra, in quantum consulere potes necessitatibus nostris; in tantum & voles. Voles autem quamplurimum: & facta, quæ voles, ut habeas, cum efficacissimæ tuæ industriæ nervi (nam quis te acrior & impiger magis ac strenuus se Reip. commodet Princeps?) tam aspirantis tibi familiariter favor Numinis dabit. O auspicatissima igitur, & non in brevis ac temporarii boni spem; sed in augurium & minimè fallax felicitatis perpetuæ omen induciarum sancita pactio! O nobis lætissimæ prosperimæque Kalendæ Decembres! Quæ licet in arcum cogatis diurnum lumem, & solem subducentes terris quodammodò effœtum & segnem & inamœnum annum concilietis; at patriæ tamen dum redditis patrem, dum exhibetis obtutibus nostris verendum salutis ac securitatis publicæ pignus; plus certè in uo confertis Principe, quàm aut Sol ipse, aut annus donet, Quorum ut capere munera ac frui liceat, a virtute, a sapien-



pientiâ, à bonitate regnantis est expectandum. Quan-  
 tum enim & bonus annus, & pii tribuent Soles, si extra  
 securitatis spem positus sit agrestium labor; aut ipse-  
 met princeps procellâ quâvis & tempestate violentius  
 incumbat; feliciorque proventus anni non tam gau-  
 dendi colono afferat copiam, quam flendi necessitatem  
 imponat? Jure idcirco alacris omnium & effert & ja-  
 ctat se pietas: quantumque intus concepit quilibet  
 gaudii, tantum in ore, in gestu, in habitu etiam pro-  
 mit. Nihil autem pusillum, ac leve & tralatitium in-  
 tra animos nostros æstuat; & sensus sagitat omnes,  
 truditque per turbam & quasi tumultuatur inter se,  
 dum simul præsentium voluptas maxima tenet, & spes  
 futurilenocinatur. Atque ignosces, SERENISSIME  
 ELECTOR, si in tam impotenti lætitia inconditi ali-  
 quid, & parum decorum admittimus, officiique solici-  
 tudinem affectûs magnitudo elidit. Impetuosissima  
 res magnum gaudium est: præcipuè, quod diuturnam  
 post ægritudinem atque mœstitiâ incumbat. Neq;  
 enim in unum hominem simul & vehemens motus ani-  
 mi, & diligens sui custodia convenit. Ut saxum ingens  
 montis, cum sua emotum est sede, teneri non potest,  
 devolviturque lapsu præcipiti temerè, quâ patet decli-  
 vitas; sic mentes nostræ, cum incitata vehementius  
 sunt, quâ vergunt, ruunt; nec eunt in vota sua ordine,  
 sed raptim præcipitant: cum simul affectui, & rationi  
 vacare haud possint. Non offendente igitur ruentis  
 confusè, & tibi eripientis propemodum iter malè dige-  
 sti clamores turbæ: non immoderatus gratantium  
 strepitus, & exultatio impotens; neque enim irre-  
 verentia atque protervitas; sed nimia & sui secura  
 eorum est pietas, qui, à quo omnes felicitatem ex-  
 pectant,

D

pectant,



pectant, videre dum ardent, habere decoris rationem  
haud possunt. Itaque omnis ætas & sexus, & status  
omnis ac ordo certatim affluit, & quo majores spes  
quisque de tuo sibi promittit aspectu, hoc intueri, hoc  
venerari te propius optat. Si dignaris respicere (&  
quidni digneris tam amans tuorum, tam bonus & fa-  
cilis princeps?) sed si dignaris respicere igitur, videbis,  
**ELECTOR**, ad tam beatum spectaculum tui non pu-  
bem adultam ruere tantum, sed parvulorum etiam gre-  
ges, & lascivire, ut solent, propemodum gaudio, suspi-  
cientes ex longo licet, sub quo in meliores spes tandem  
succrescere se non pueriliter sibi persuadent. Videbis  
senes supra ætatis obrepere vires, & incitare tarditatem  
annorum, ne transeundo prævertas, à quo debilitati  
sue securitatem & quasi baculum quendam expectant.  
Jam medii horum quam jactant se? Quam virili atque  
cordato gaudio ingenii juxta & corporis robor im-  
pendere gestiunt, quem in præsentia intuentur? Quid  
nunc pudicas virgines, quid castas matronas comme-  
morem? Quæ aut legitimas nuptias nunc nihil detre-  
ctant; aut tæcunditatem suam odio non habent. Vi-  
dent enim tum cui genuerint liberos, tum cui legitimè  
gignere cupiant. O quantum ingenium justis & im-  
moderati gaudii est? Quod & superbiam amplius demit,  
& parvis addit fiduciam: ne aut beati fastidiant mise-  
ros, aut vereantur calamitosi beatos. Spectant unà  
divesque & pauper; & quos fortuna discriminat, a-  
mor ac desiderium tui conjungit. Qui cum ex æquo  
triumphent adventu tuo, hoc differunt tamen, cum  
novi spes fati abblandiatur alteri; alterum verò se-  
curitas veteris & incrementa titillent. Sic multa  
cum præstes in præsentia omnibus, **ELECTOR SE-**  
**RE.**



RENISSIME, non pauca tamen in posterum debes; & ab adventu tuo, ut nemo non partem felicitatis aliquam sibi promittit; sic in eodem concurrunt omnes, lætantur & gratulantur omnes. Præcipue Academia tua: quæ quidem hoc abundantius lætitia hodierni diei fruitur; quod ad beatum complexum tuum benignius propiusque admittitur. Cum non videre tantum viderique licet; sed alloqui etiam & venerari coram, cui & suam salutem hæcenus debet, & debitura post est, quam potest sperare, felicitatem. Quam hoc uberiores quidem præsumit; quod ex præteritorum certitudine, de futurorum fide animosius speramus. Quod si natura rerum permitteret, ut fundamentis æternis quæ sita altissime sunt, aut structa invictis operibus fixa penitus sedent, se commovere & agere possent, (quanquam in Poëtarum fabulis incedere montes, procurrare silvas, coire in muros saxa & lapides legimus) non nos, spirantia ejus & animata membra tantum, hic consisteremus ante Te; sed exedrae omnes & acroteria huc ultrò venirent, & de pulcherrimis maximisque beneficiis tuis loquerentur: quin hortuli nostri atque agelli, & ipsi domestici lares, niduli nostri, leverent se funditus, seque proriperent in tuum conspectum, acturi gratias, quod ab hospitibus, à vectigalibus, à munere omni ac in tributione militari, immunes, indemnes, liberos præstiteris. Quod beneficium nisi tulissent à manu tuâ; jamdudum illi, aut vasto squalore ac solitudine in senticera fœdasve oligines; aut situ ruinavæ in antra, in stabula, in rudus de forme, & nescio quos quisquiliarum sordidissimos aggeres abiissent. Quare quod feruntur, coluntur, habitantur & fructum præstant; non dominorum diligentia, non cælo



& solibus magis, quàm tibi debent. Quamquam quid agellorum ego, quid possessiuncularum nostrarum recenseo bona, præteritis iis, quorum hæc gratia in eos collata? Nam quid attineat, quæso, durare cubicula nobis ac mansiones integras, constare tutelam & cultum fundis; si fructum omnem excedat impensa, & patrem familias strangulet sumtus, & nosmetipsos novissimè contabescentes miseriam cedere bonis, & vertere solum, & aliam patriam, novasque fortunas, everfis veteribus, indignis erroribus, laboribus improbis, quærere, necessitas cogat? Quare servasti hoc tuo munere, CLEMENTISSE PRINCEPS, non bona nostra nobis tantum; sed nosmetipsos bonis nostris: & nos servasti autem, ut Academiam tuam servares. Quam non in tectis & ædificiis, non in palæstris atque gymnasiis, sed viris æstimabas. Neque enim columnæ ac pilæ, aut tabulata affabre structa, nec ornatissimi quamvis cathedrarum suggestus edere vocem, & disciplinis præclaris formare rudium animos, nobilissimarumque artium doctrinis imbuere & expolire ingenia solent; virorum id munus, neque quorumvis, est: sed qui perdidicerunt jam olim, quæ docent, exactè, nec non in meditationibus illis exercent assiduè ætatem, & vacant solis, aut eò cætera omnia referunt. Quos eam ob causam habere & liberaliùs oportet: ne quasi contemti neglectique remittant studium, & minus perficiant; aut aliis applicent animum, unde emolumenti majoris fiducia redit. Quo nullum aliud aut pestilentius affligit studia; aut officinas eorum ac domicilia Academiæ citius evertit. Utinam vero (postquam in hunc deventum est locum) ea desubito mihi divino munere eloquentia daretur, quæ non partem  
quidem



quidem illius laudis, sed omnes numeros ejus impleret; simulque & suavitate alliceret, & subtilitate suaderet, & gravitate, instar profundæ grandinis ruens, percelleret: ut omni orationis genere, omni facundiæ habitu, publicè tibi, SERENISSIME ELECTOR, agerem gratias, & hoc cœlesti munus tuum, sic inculcarem seculo nostro, sic commendarem posteris, ut ejus memoria contra omnem obtrektorum invidiam, ne atterant; profunditatem temporum, ne sorbeant; ruinam casuum, ne solvant ac deleant, invicta perduret. Interest enim, interest, eam in laudibus hominum, in famarum rerum, in perpetuitate ætatum manere exemplo principibus, quid & honoris literis, & indulgentiæ literatis debeant: ne his oppressis calcatisque, & illæ intereant, & secum unâ humani generis trahant exitium. Cujus quidem maximi beneficii tui, ELECTOR, cum diligentius replico ordinem, & formam ejus perscrutor, nescio equidem, quid prius in eo, quid magis admirer; bonitatemné animi tui, in qua origo ejus & incunabula quasi posita sunt? an rationes consilii tui, unde adultum robur atque perfectio est? num voluntatis constantiam, ex qua invictum nobis perdurat? Quia & es, & eris semper, sicut fuisti, optimus; cepisti, ut dares, impetum: ne dares temerè, deliberasti maturè (Profusio enim, non liberalitas, largitio est, cui ratio haud constet) Præstas indefinenter autem, quæ decrevisti semel præclare, ut approbes, gravitatem eandem ac pondus & moribus & rationibus tuis inesse: Teque, quàm aberrandi proclivitate, quàm pœnitendi necessitate excludi. Neque enim quem pœnitentia ceperrit temere, quàm inconsultum & vanum, quod ut umque à tuo ingenio longissimè abest. Prosperant qui-

D 3

dem



dem immunitati literarum jam olim superioribus seculis Imperatores Augustissimi: peculiari indulgentia etiam caverat nobis D. MAURITIUS, qui primus in gentem tuam sacrum Imperii ensen intulit, Tibique DOMINE, auspiciis felicissimis per avi patrisque & fratris pius transmisit manus; sed obsoleverant illa pleraque in animis hominum, & velut situm traxerant, cum ipsa felicitas temporum usum illorum consumeret. Sic factum, ut quæ per pacem magnifica habita, exortis mox bellis, & cum deberent exeri, inania prope & inutilia reperirentur. Oppressissetque nos pariter, & evertisset hanc toto terrarum orbe clarissimam Academiam publici fati atrocitas, ni intervenisset pietas tua, & quasi obiecto suæ clementiæ clypeo infesti fulminis ictum in tempore declinasset. Quid animi enim, quid reliquum nobis manere fiduciæ poterat, quo fulciretur vitæ spes, quo nostra persona ac status inniterentur, si post intercepta stipendia foris; consumpta & erogata patrimonia domi & conjugum dotes, nil præter vilitatem, orbatis honore privilegii; & desperationem ac famem, honorum naufragis, restaret? Sed sicut beneficium Solis lumen caligines noctium facile dissipat, simul redditur terris; ita evanuerunt curæ mœroresque nostri illico, simul clementiæ tuæ lux fulgere nobis cepit; & reddito spiritu privilegiis veteribus ac senescentibus solitudinem nostram solata est; & gratia novorum exhilaravit spem nostram ac confirmavit. Ita factum, ut licet haud pauci aliò, & extra patriam, ubi nec bella, nec calamitates ullæ bellorum urgerent, invitarentur luculentis conditionibus, plerique tamen omnes restiterint, nec deseruerint stationes: obfirmatique adversus fortunam meliorum spe, & tuæ clemen-

tiæ



tia sumtâ fiduciâ, putarint satius, ostentati commodi fructu excidere, quam fortis ac generosi animi perdere laudem, si segniores scilicet in approbanda tibi fide viderentur sua; quàm indulgentia tua in exerendâ cumulandaque pietate nosceretur. Neque fefellit hoc nostrum augurium, CLEMENTISSIME PRINCEPS: quippe quem non minore constantiâ collata asserere munera jam deprehendimus, quàm quò facilitatis affectu contulisti ante. Nam venit usu nobis, ut non sufficeret, dedisse semel; sed iterum iterumque vindicare tentata, ut esset necesse. Reperti siquidem sunt, qui quererentur apud te, cum ante non semel, tum & nunc nuper etiam, felicitate immunitatis collatæ in nos accumulari suas misérias, accrescente sibi onere, quod nobis ademptum. Præclarum quidem in principis laudibus clementiæ titulum; sed æquitati si nihil officeret. Æquum de cætero, non separari à remedium collatione, quos mali fortuna conjungeret. Quos quidem, dum serunt talia, dum persuadere conantur, nec odii cuiusdam adversus literas, neque livoris in ordinem nostrum insinulaverim. Paratus potius ad labendi facilitatem, cui in universum mortales obnoxii sumus, communemque humanis ingeniis affectum amicè referre. Quàm læta & prospera bonarum rerum splendore perstringere ac hebetare mentis oculos; tam obumbrare miseriæ sordibus suis & quasdam quasi offundere tenebras solent: ut utrobique malè pateat verum, & hîc & ibi magna errandi detur occasio. Jam quocuique cum suâ fortuna tam convenit bene, ut, quamvis minimè malus, non tamè obliquè aliorum intueatur felicitatē, nec in solatii parte accipiat, etsi dispares ordine, fortunâ tamen sibi æquari? Hinc



boni illi viri, cum se respicerent maximè, & in vulneribus suis tantum haberent manum, advigilantes doloribus, qui urebant; quid deberetur aliis, tanquam obductâ oculis nube, minus perspiciebant. Non nominabo opificia ipsa apud Te, SERENISSIME ELECTOR; sed quotquot eorum recensere fas est, quanti, quæso, ipsis aut disciplina artificii in mercede & cultu; aut celebratio denique, in instrumento tuendo & perficiendo opere constat? Quæ à primis prope modum institutionis annis, aut parcent patrimonio, aut aliquid lucrifaciunt statim: ut simul habeant interim, quo rudimenta ac tyrocinia sua tolerant; sed post deinde inveniant, quo fundent familiam, & incrementa rebus sperent. Quam dispar eorum conditio, qui se dederunt literis, tuamque ætatem in excolendis tradendisque studiis occupant? Quibus à prima pueritia usque & prope infantia, in præceptores, in libros, in cultum ipsum ingenii, tum cætera vitæ degendæ honestè præsidia, faciendi sumtus perpetuo, tantique sapius sunt, qui patrimoniorum fructus haud tantum omnes, sed ipsa quoque, & si quid præterea in mercedibus, præmiisque industriæ suæ quæsierint, exhauriant atque consumant. Cum tot, & maximæ quidem, impensæ non alio fermè fructu constare ipsis soleant, quàm qui aut situs in sterili alicujus scientiæ laude, aut Reip. cesserit. Cui non modo dierum labores, sed nocturnum quoque ac lucubrationum nostrarum vigilias ultrò impendimus. Ne census atque fortunas tantum; sed vitam ipsam & valetudinem in emolumenta ejus conferamus. Rati, hanc demum vitam, hunc verum usum divitiarum, si publico profint. Quod non recogitant, puto, qui nos vilissimis etiam opificiis



ficiis æquari cupiant; & id queruntur per bellum immunes oneribus, qui omnia nostra jam diu erogavimus ante, cum quæstum quidem ipsi facerent. Urgeant bella, incumbant arma, non cessant planè opificia tamen. Facilius enim negamus cultum animo, quàm sua præsidia corpori demimus. Et prima omnibus tuendæ vitæ; non excolendæ & informandæ, cura sedet. Ut opificiorum igitur usus perpetuus est; ita iisdem vitæ defunt mercedes, licet per bella parcius redeant. At jacent in pace etiam studia sæpius; sed tempestate bellorum vel conculcantur: cum cessant & intercepta stipendia & commoda cætera debita studiis. Et ægtè est tamen, haberi discrimine aliquo, quibus & nihil ex sua industria; & quibus aliquid reddit? Æqvè omnibus quidem, coortis bellis, armorum præsidio opus est: ei tuendo tamen, quid ad justitiam interest; si hic pecunias, ille aliud quippiam conferat; modo quisque quod habet, & cujus maximè sibi præsto est copia, conferat? Nempe & nos intribuimus quod est in manu: & quid si studiis nostris promovemus magis arma, quàm cæteri loculis suis adjutant? Qui saltem gerendis bellis ministrant subsidia; cum nos & bene gerendis sufficiamus. Nam ut ingenium suum machinis, disciplina munitionibus, ordo & robur aciei constet; tum ne positus cœli & habitus; ne situs locorum atque ingenia (unde magnæ gerendarum rerum occasiones nasci solent) decipiant: in summâ, ne Imperatori consilium, consilio vis & ratio desit, nostra studia, nostræ artes & disciplinæ imprimis promittunt. Quas dum docemus & profitemur, juxta & paci consulimus, & bello prospicimus: ac itaque semper, etiam cum immunes cæteri sunt, maximum & fructuosissimum Reip. vecti-



gal persolvimus. Sed quo me proripit æstus animi, SERENISSIME ELECTOR, ut hæc, & apud te, & isto tempore, disputem; simulque adesse communi causæ, & remederi eorum contendam errori, qui nos, & studiorum nostrorum merita, dum dolor iudicio officit, non suo pretio æstimant? Disceptata jamdudum hæc apud animum tuum decisaque sunt: & repulisses protinus, quoties hæctenus inquietarunt clementiam tuam, qui, si non invidabant collata in nos beneficia tua, dolebant tamen sibi negata; ni boni principis, hoc est, tuum existimasses, fastidire nullius querelas; eorumque inprimis admittere comiter, qui se afflictos statuerent; ne gravaretur eorum mœror, qui levamentum expeterent. Licet itaque jam peroraverat causa nostra apud Te, te ipso Patrono; tamen ut ordini iudiciorum nihil decederet, nec definires quicquam nisi legitimè, totum negotium tuo eorumque arbitrio, quos sanctioribus tuis consiliis adhibes, iterum iterumque commisisti. Nam & à nobis allegati fuerant, qui pro necessitatibus nostris facerent verba. Quos quidem (nam neque istud silere, ad tuam gloriam interest) qua facilitate obvia, qua benignitate incredibili, quo novæ comitatus exemplo, denique, quibus uberri- mis certissimisque gratiæ atque clementiæ principalis pignoribus, excepisti, fovisti, dimisisti? Parum erat, fecisse liberaliter copiam explicandi allegationis ordinem apud eos, quos ei negotio destinaveras: parum erat, te cognovisse ipsum causam, & tam clementer, quam graviter pronunciasse pronobis; admisisti præterea, quos miseramus, & ipsos, dedisti dextram, vadem sanctissimum pietatis tuæ; adhibuisti mensæ; provocasti ad communionem sermonis quam jucun-  
dis-



diffimè, cum nunc solatiis erigeres, nunc informares præceptis; alquando & interfereres jocos, ut simul & hilaritas sua convivio, & sua constaret salubritas. Quid quod discessuros ultrò commeatus instruxisti diplomate, quosdam & xeniis honorasti? O admirabile principis ingenium! Simul & gravitatis & comitatus omnem implesti laudem. Quid nunc Augustos deinceps, aut quid Trajanos admirer magnopere, quorum civilitatem præ cæteris ornatissimis laudibus veteres extulerunt scriptores? Illorum exempla legimus, tuavidemus. Et ea quidem, quæ, si non superant illa, tamen exæquant. Bene habet, PATER PATRIÆ, bene habet, STATOR LITERARUM! Non potest abire ab se liberalitas tua: non poenitendum quiddam admittere prudentia: & si mutari pateretur constantia; non esset profectò, quod in vocabulo suo audit. Quare intemerata tibi manet virtutum tuarum gloria; & nobis beneficia tua non imminuta. Adeò quidem, ut, non contentus hæc decrevisse intra operta Consilii tui haud semel, in ipsis comitiis publicis, favente inprimis amplissimo Equitum ordine, quasi obsignans confirmasti. Nempe ostendere alium atque alium; & elargiri aliquid, quod mox eadem facilitate eriperes, circulatorium ludum, & præstigiæ opus; non, quod deceret gravitatem principis, existimabas. Quid magis, aut ad fastigii vestri gloriam, SERENISSIME PRINCEPS, aut ad tutelam felicitatis publicæ facit, quam optimas artes, & sapientiæ studia florere quam maxime? Fortuna quidem ac opes potentiam atque formidinem circumdat principibus; magnos & admirabiles sola excellentia animi, & in præclaris operibus specta-



spectata virtus efficit. Sed quicquid prudenter, quicquid magnificè fortiterque dictum, factum, gestumque fuerit, vix ultra unam ætatem in aliorum admirationem exemplumque durabit, nisi deo a ingenia interveniant. Quorum sacer & magnus labor quicquid attrigerit, id eripit leto, perpetuoque cum posteris transfigens, aliâ, & immortalî vita donat. Ac quamvis magna imperia parentur viribus; justitia tamen & bonis artibus conservantur. Quas si deleri in animis hominum, in usu rerum extinguere contingat, non alius status humani generis expectandus, quàm mundi nondum illustrati luce, nondum digesti in admirabilem istum ordinem & pulchritudinem absolutissimam, ex qua & appellatur, fuit: cum discordantia rerum semina, non separata jamque composita; sed temere mista atque confusa pernoctis immensæ vastam voraginem volarentur ac volitarent sine lege; & calida frigidis siccis humentia, mollia duris, gravia levibus pugnarent. Cujusmodi chaos superioribus seculis, cum diuturnitate bellorum & ferocissimarum gentium incursionibus, elegantia literarum ac honor, scientiarum ac artium splendor, ipsa religio denique, humani animi maximum bonum, non offuscaretur duntaxat inducto squalore; sed immergeretur propemodum penitus infelicissimæ tenebris, & quodam quasi noctis obscenæ alveo conderetur, ut non ignorabas in vectum; ita, ne simile fatum, aut seculum tuum aut posteritatem opprimeret, cavendum & annitendum modis omnibus existimabas. Certe propositi igitur ita mandasti armis tuis tutelam patriæ, ut literarum securitatem non turbarent; nec urbem tantum, sed Academiam vel maximè assererent. Cujus tantò majorem habent



bendam tibi statuebas curam; quo tristior funestior-  
que in omnes partes rei Christianæ; adde & inexcusa-  
tior apud posteros, futura ejus videbatur ruina, si nul-  
la hostili vi fuisset illata. Malles quidem nemini ar-  
ma tua oneri esse; sed si cedendum tamen fortunæ;  
satiùs est, eximere paucos; idque, non magis ipsis, aut  
gratiæ tuæ; quàm Reipubl. dare, cujus salus suprema  
lex est. Maeste hoc animo, maeste hac gloriâ, ELE-  
CTOR SERENISSIME, quæ & majorum tuorum  
laudes supergrederis, & tuas ipsius, quas quidem A-  
cademia debet, excedis. Condiderit eam maximus  
suo sæculo princeps, atque id solus meritis hætenus,  
ut sapientia ei, quæ nihil cœlestius, novum conde-  
ret nomen; locupletaverint ornaverintque & conser-  
varint ad posteros cæteri; magnificum quidem illud,  
atque ad omnium seculorum memoriam illustre erit;  
sed tuis his meritis impar tamen. Enimverò in abun-  
dantia opum, & rebus tranquillis, exerere liberalita-  
tem, & facere sumtus; aut parta quæ habeas tueri be-  
ne integræque relinquere heredibus (quæ illorum  
laus est) non arduum ita atque difficile; at verò in ma-  
ximis turbis, in medio bellorum incendio, cum alia  
jam prostrata, dejecta, calcata jacent; alia fato ei-  
dem proxima nutant; solitudo & clades & vastitas un-  
dicunquæ incedit, non stantia quidem & integra; sed  
ruinosa atque laplantia sustinere, tueri, asserere (quam  
tibi vindicasti gloriam) id tam excellentis divinæque  
virtutis existimo, ut neque condere primùm & insti-  
tuere præclara opera majus putaverim. D. MAURI-  
TIUS quidem, nulla unquam ætate silendus princeps,  
& ob exempla maxima, quæ dedit, sæpius, & nunquam  
sine summis laudibus commemorandus, bello &  
armis



armis perterrefactam ac dissipatam hanc Academia collegit, firmavit, exornavit, magnificisque privilegiis instruxit; eaque de re videtur venire in societatem hujus gloriæ tuæ: venitque profecto; sed ita tamen, ut Tibi ultrò, SERENISSIME ELECTOR, priores & ampliores partes concedat. Omnis illa tempestas, quæ proximo seculo urbem, viciniamque circumcirca, concussit atque afflixit, intra non ita multos defævit menses, & terruit magis atque attonuit tum, quàm incubuit bellum atque confecit: morbi acuti instar, subito ingruens, acriter urgens, & brevi transiens. At nos per lustra ipsa duo non tam expositi bellis, quam cincti undique bellis fuimus: plurimumque annorum, quàm illi dierum, prope obsidionem sumus perpeffi. Quantò facilius itaque fuerit, trepidantes & metuentes, sed nondum miseros, colligere; quàm nunc defectos, & exanimatos jamque labantes tenere, ne cadant? Videturque mihi illa tempestate quiddam deliquio simile passa fuisse Academia: nunc autem capitali morbo gravissimaque implicita valetudine ad fatum ultimum accessisse. Et est felicitis quidem industriæ revocare suppressum spiritum; sed cohibere fugientem, & retinere vitam, cum instrumenta ejus consumpta pleraque sint, nec alimoniam quicquam prope ac boni succi adest, id efficacissimæ cujusdam & planè divinæ virtutis opus. Quid quod D. MAURITII privilegium angustius, quàm pietatis tuæ beneficium patet, ELECTOR. Neque enim cum vita nostra desinit; sed quasi peculii aliqua pars ad conjuges atque heredes nostros transit. Ut non jucundius vivere, quàm mori liceat. Dum securos finiri & metu vacuos licet; ne in affectus nostros iidem recurrant.



rant & obruant fluctus, quos indulgentia tua hactenus à nobis averterat. Ut viceris tuos hac parte gloriæ, dictum est: ut temet ipsum, restat spe veniæ tuæ, SERENISSIME PRINCEPS, ut dicam. Contulerat munificentia Patris tui summam ingentem in convivitorium publicum constituendo ærario, ex quo sine difficultate tuendo illi & conservando sumtus perpetuò suppeteret. Hanc cum superioribus annis ærascatorum nequissimæ artes, & illud triste in publicum monetarium malum, quod se bellorum initiis miscuit, circumscripsisset haud tantum, sed penè totam intervertisset; & tua supplevit pietas, & ei suppeditans amplificavit magnificè, cum dimidium tantum superadderet, liberalitas. Quid, quod Professoribus ipsis ad ordinaria stipendia novas accessiones & comoda, fruenda in annos singulos, ex frumentario canone decrevisti? Magna quidem hæc sunt, & efficacia ad exprimendam indulgentissimi animi tui munificentiam singularem. Sed difficilius multò ac excellentius est, desperatis salutem reddere; quàm nondum miseris emolumenta largiri. Cùm illa conferres, toris ac lacertis, Academiae suum servasti, auxisti robur? hoc cū concederes, revocasti, & novos quasi astrinxisti nervos; qui tabidos solutosque continerent artus: ipsa vitalia denique fessa, emarcida, deficientia vigore novo ac spiritu animasti. Ut magna mox admiratio incenserit stare cernentibus Academiam, & sibi præter omnem spem esse superstitē, quam conclamatam paullo ante, & prope depositā existimaverāt. Ac videbatur ei certè supremū casū jam astruxisse fortuna; sed tua prævertit pietas, & affuit Numē consiliis, quæ inspirarat. Durat igitur Academia, non suis viribus, sed tuis beneficiis  
nixa.



nixa. Durabitque in posterum, si neque hæc demseris (ac demes nunquam) & nova addideris, quibus reficias atque instaures, quæ hætenus quidem suffulcisti. Quamvis enim huic pulcherrimæ moli ipsis iniitiis substructa fundamenta statim firmissima sint; eaque munita & solidata deinceps robustius: tamen quid non resolvit & laxat & frangit denique atque debilitat, cum longa bellorum atque effrenis rabies, tum bellis omnibus acrior inclementia fati? Quæ simul nihil ad calamitates ultimas nobis fecerunt reliqui; simul & illa convelli in tantum quassarique; quin subruipartibus plurimis & emoveri cepta sunt, ut nisi reparetur labes, substructioni perpetuitas, quamvis admotis his tibicinibus ac fulcris, constare haut possit: & sic ruinæ discrimen dilatum magis, quam sublatum videatur. Sufficit tamen, ELECTOR, fundasse te Academiæ cymbam interim, contra tempestates furentes hac sacrâ anchorâ, & præcavisse naufragium: cum detonuerit procella, fluctusque confederint, non minor reficiendæ jactatæ navis tibi incumbet cura, quam conservandæ fuerat ante. Ut integrâ perfectaque gloriâ depulsi periculi simul, & recuperati optimi statûs titulis auctus seculis omnibus audias, MAGNUS STATOR LITERARUM: FELIX CONSERVATOR STUDIORUM: MUSARUM OMNIUM AC RELIGIONIS BENIGNUS PATRONUS, DEFENSOR INVICTUS: ALTER DENIQUE ACADEMIÆ HUIUS, SED MAJOR PRIORE, FUNDATOR PIUS, ET INSTAURATOR FELICISSIMUS. Ut quæ bis hætenus tentata bellis, ac primò quidem concussa dissipataque præcipiti turbine; post autem diuturna atque atroci tempe-



tempestate vehementissimè quassata convulsaque est, tuis deinceps auspiciis, freta pace, freta securitate perpetua, nunquam non gliscat latissimis auctibus, & omne in ævum adeò floreat, triumphet atque æternet, communis Christiani magistra orbis, & inexhaustâ fecunditate maximorum virorum in omni genere felicissima mater. In fine orationis vota nuncupanda sunt; sed ingenua, sed verecunda, ac sobria; non affectata & improba, & specie quidem magnifica, reipsâ inania ac vana. Quale Romani Oratoris legimus, cum Imperatorem suum in omnia secula vivere precatur. Ludibrii, aut putidæ adulationis fuerit, non veri aut magni affectus, optare, quantumvis maximo homini, quod humana conditio non ferat. Inquam ut longa vita cadat maximè; perpetua tamen haud cadit: quæ divinitatis solius prærogativa est. Cui fastigium proximum licet principes teneant; nondum participant tamen divinam naturam: & quamvis supra homines sint, homines tamen esse haud desinunt. Sed neque illud solenne acclamationum veterum, ELECTOR SERENISSIME, revocabo in usum, deposcens Numen, de nostris annis ut Tibi annos augeat. Quid enim aliud esset, quàm exuparantissimam opulentiam Numinis in arctum cogere, & ad inopiæ propemodum redigere necessitatem: quasi largiri non possit, ni alienum invaserit: & vitæ unius ut addat aliquid, deerrahere de alterius, habeat necesse? Quò propius veriusque te novimus, summe rerum Sator, & gubernator operis tui ac hospitator, hoc religiosius sanctiusque Te veneramur: non illudentes majestati tuæ, si postulemus iniqua, & quæ, ut posses, nolles tamen, ut aliena, concedere; aut malè æstimantes potentiam tuam, si, quasi de



tuo quod dones non habeas, monstremus alibi, quod possis donare. Vero ac simplici voto quæsumus Te atque oramus, ut diutissimè serves, PRINCIPEM NOSTRUM, ut addas perennitatem domui ejus, incrementaque tam felicia, quæ nulla fortunæ, nulla debilitet temporum vis; non alius ullus cernat ac adeat, quàm heres suus legitimusque successor: cum cælo interea ipse succedat haud ante, quàm nos in plenæ ac solidæ pacis tranquillatem locaverit, Tuque consumtis felicitatis humanæ muneribus, nihil, quod reddas ipsius meritis, habeas amplius, quàm cælum ipsum.

D I X I.



ORATIO QUARTA.  
FIDEM SERENISSIMO ELECTORI  
SAXONIÆ,  
CUM CLIMACTERICUM  
MAGNUM FELICITER  
SUPERASSET,  
DICTA IN TEMPO ARCIS  
A. dñs. lñc. XLIX.

**R**ECTOR MAGNIFICE: ILLUSTRIS  
ac Generosissime Comes: Sereniss. Electoris Saxoniæ  
Consiliarie, & Curia quæ hîc est eminentissime Præses; nec  
non istius, ac Belzigiensis, tum Gomeranæ ac Elbenavien-  
sibus Ditionum Supreme Præfecte: Legate Legionis & Castræ  
hujus fortissime: Patres Academiæ plur. Reverendi, Am-  
plissimi, Excellentissimi: Doctores & Assessores, Consultissi-  
mi,

mi,



*mi, Experientissimi. Clarissimi: Consules & Senatores Prudentissimi; Ecclesiastica Reverendi: tuque reliqua Civium Academicorum Nobilissima atque Leticissima Concio.*

**C**um omni tempore pro incolumitate atque salute optimorum principum & instituitur gratulatio meritò, & nuntiantur vota ac preces auctori rerum, ut boni tanti possessionem propriam nobis atque perpetuam esse sinat; tum illà die id religiosissime fieri par est, quàm Numen beneficum natos recens indulget primum & commodavit terris. Et si enim singulæ lucēs egregiorum principum beneficia annumerent largiter, nec ullum momentum intercedat prope, quo non provisio illorum ac salutaris industria frugiferum aliquid ac utile in publicum operetur & agat: humanæ animæ instar, cuius infatigabilis motus suo perpetuo consolat corpori, quemadmodum tamen omnis rotunditas circuli à puncto suo nascitur, & in se circumvolvitur semper; sic universus felicitatis publicæ ordo ab illo cum maxime pendet tempore, quod ejus auctorem primum dedit. Sed consecraturis nobis votorum solennibus SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI quantum ac sexagesimum, qui felicissimè hodiè illuxit, natalem, tantò devotionis ac pietatis plus afferendum ad id officij; quantò defunctis magno metu gaudendum & gratulandum effusius est. Qui rationes Chaldaicas sequuntur, cuiusque mortalium vitam, in quædam segmenta seu interstitia, quæ gradus & climacteras appellant (quod æquè per eos, atque per scalam, agatur nostra atque ascendat ætas, dum rursus in finem suum præcipitet) per septimum quemque, & nonum quemlibet

E 2

annum



a num describunt. Quos, quanta vicissitudinum  
 varietate natura rerum insignierit (quod iidem obser-  
 vant) nunc nihil attrigam: de discriminibus autem at-  
 que periculis, quibus tum vita atque fortunæ nostræ,  
 imprimis eo, quem tertius & sexagesimus facit, pateant,  
 quas tristes atque ferales canunt prædictiones? Hunc  
 enim, quia utrumque fatalem numerum, quorum ad  
 corpus alterum, ad animum verò alium pertinere vo-  
 lunt, capit & copulat, ex septies novem & novies sep-  
 tem conflatus, maximum reliquorum terribilissimum-  
 que pronunciant: eaque de re *Androdam* dictum Æ-  
 gyptiis, quod vitæ humanæ, ut Firmicus loquitur, uni-  
 versam debilitet atque infringat substantiam. Non  
 disputabo nunc curiosius de hoc proposito, ac in di-  
 ctorum sollicitè fidem inquiram. Potius, omnia, sicut  
 sunt, relinquam in medio, neque aut vera asseram, aut  
 arguam vana. Conduntur altissimè sæpius causæ  
 rerum: quas meras profundius cum vestigando præ-  
 hendere nequeas, multò proclivius fuerit, negare peni-  
 tus, quàm de natura earum quicquam statuere. Non  
 rarò etiam intervenit Deus, ac procurrentibus se se op-  
 ponit causis, aliterque dispensat eventus, quàm se datu-  
 ri aliàs erant. Quæ ratio Numinis, ut in arcano agit  
 negotium, seque subducit mortalium oculis; sic fre-  
 quentissimè confudit iudicia: ut toties dubitent, quo-  
 ties exitum suis concinere causis non vident. Quod  
 si nec superstitiosa habere nec falsa oportet, quæ de  
 gradariis annis, & horum maximo antiquitas prodidit,  
 ac nostra potissimam partem recepit ætas; hoc san-  
 ctior nobis solenniorque agi hic dies debet, quò plu-  
 ribus tristissimisque auguriis atque terroribus auctor  
 & custos securitatis publicæ in eo defunctus est. Ac si  
 hunc



hunc ipsum tam formitatum aliàs annum, plenum lætissimis gratulationibus & omnis generis felicitate expertus insignem, si quemquam alium, est; ecquod illustrius providentiæ; quod certius & luculentius divini favoris in principem nostrum capere documentum; aut quando justius Deo & canere immortalī laudes, & gratias reddere, quam hodierno die licebit? Ego verò ut mediocritatis ingenii mei omnium maximus mihi ipse testis sim; potius tamen existimavi, si quam dicendi opinionem collegerim fortè studiis hominum, perdere eam atque amittere hodie penitus voce inconditā, quàm lucem istam indictam pati, cujus felicitas citra impietatis crimen sileri non potest, & in præsentī sola referetur, sepositis laudibus Principis, quæ aliud tempus, & majus ingenium, & victurorum annalium curam exigunt. Nam secula omnia erudire quæ debent, & per se numerosa atque amplissima sunt, nec comprehendi recitatione unius possunt horæ, & in transcurso atque per summas, ni velis atterere, dici haud debent. A vobis, AUDITORES, dari benevole veniam obsecro, si à communi ratione mea non nihil recedet oratio: neque tam venerabilem istum confessum vestrum, quàm illum ipsum compellare videbitur, qui causam occasionemque dicendi dedit. Neque hîc illud afferam; ut principum culmen se supra cæteros levat altissimè, & sortem communem modis infinitis excedit; ita vulgaritatem detrectat & averfatur oratio; quæ summis potestatibus datur. Modestius, opinor, hoc pro me dixero: si sua in sede consistere animus motus ac incitatus semel haud potest, sed erumpit foras, eo que fertur ac rapitur sui impotens, unde non datur quiescere; quid mirum, si ex præsentis diei lætitia alas quasdam, & velut quasdam re-



migia sibi aptet oratio, ac gratulationum plausu solenni quasi ventis levata, emicet, seque ad eum, quem dicit, inferat, & ita secretum multis millibus, tanquam praesentem, alloquatur? Quamquam abesse putandus vix sit, qui potestate imperi ac majestatis vi & longè diffusa impleat. Sed unde dicendi initia, SERENISSIME ELECTOR, quàm à Te ipso, vel auspicius capiam, vel opportunius sumam? Incertus licet, utrumne Tibi ipsi de Te, an nobis potius gratulari oporteat. Qui dubitationis meae aestus tamen, sederit facile, si cogitem, non sejungendum à populo principem; nec posse fieri, quin eadem ille cum civibus, isti cum principe, adversa lataque habeant. Quapropter simul Te Tibi saluum gratulor, & nobis gratulor: sed primum Tibi, in quo divini muneris bonitas incipit; deinde nobis, in quos redundat. A tua enim salute, nostra descendit felicitas: & quicquid jucundam atque optabilem vitam reddit, hoc providentiae tuae curis totum debetur. Non reprehendo illorum sollicitudinem, qui desideria sua pro publico anxii partiuntur subtiliter, & quibus fatigent Numen pene minutim concidunt preces, cum pacem, concordiam, securitatem; cum opes, honores, gloriam optant. Sed quando simplicius vota concipere poterant, & cuncta in caput unum constringere, salutem principis precati, in quo Resp. & nos sumus? Praeterehenti Puteolanum sinum Augusto, vectores & nautae de Alexandrina navi, quae vix dum appulerat, exquisitissimas inter laudes & fausta omnia illud eximium etiam admodulabantur: PER ILLUM SE VIVERE: PER ILLUM NAVIGARE: LIBERTATE ATQUE FORTUNIS PER ILLUM FRUI. Potest orationis figura paullò videri  
urbæ



urbanior, & ad vernilitatis cuiusdam ingenium ex arte polita: vanam ac impiam nemo dixerit, qui melioris Philosophiæ imbutus gustu, angustum quiddam atque cœleste in rerum Dominis agnoscat, cuius auspicio ac vi majestas eorum per omnes imperii infusa artus, totoque semiscens corpore, molem agitet: ac partibus singulis spiritum quasi ac vitam non modò; sed statum etiam atque fortunam dispenset. Perinde, ut Deus Deorum, summaque illa & exuperantissima mens, naturam rerum, ex quibus hoc universum connectitur, numine suo & implet & animat, fecundatque ac vovet: & ita consulit toti, ut partes haud negligat; sic providet partibus, ut totum conservet. Cujus etsi omnia sint, quæ ambit aër, quæ irrigant aquæ, quæ sustinet terra ac alit; hæc ipsa Regibus ramen atque Principibus eâ concedit lege ac donat, ut usum fructumque eorum indulgeant populis, labores & curas pro felicitate communi sibi reservent. Quàm ergo compendiosè agit nobiscum benignitas Numinis, qui, Principe salvo, cuncta tenemus? Vetustissima tenet opinio, in sexagesimo anno ætatem hominis exigi; neque tum vergere vires incrementis consumtis, sed plane procidere; & sic effatos corpore juxta ac animo, nec Reip. usui amplius, nec sibi esse. Qua de causa proditum literis legimus, Romanos priscos deiecisse de ponto in Tiberim; & gentem Scytharum peremisse ferro, qui id fecissent ætatis: quos apud Cæos coactos lege cicutam bibere, & ita obire diem, Ælianus auctor est. Nihil debilitatis hujus hic modus ætatis Tibi attulit, DOMINE; & ille ipse famosus terroribus ac discriminibus ex lege scansili annus usque adeo sine clade & maleficio



prætervectus est, ut fugitivi instar elapsus magis, quam, sicut hostis; incubuisse videatur. Et quo successu faceret impetum, qua parte adoriretur latus tuum, DOMINE, quem circumcirca precum nostrarum cohortes & turmæ cingerent; quin ipsa tutela Numinis pervigil providentissimè regeret undique ac custodiret? Hoc est, ELECTOR SERENISSIME, quòd sospitem hodie, quòd Te incolumem cernimus, eâ præsentia spiritus, vigore animi, corporis firmitate ac robore, ut nisi canities ætatem proderet, senem nemo putaret. Itaque cum valerudinem tuam inconcussam & integram, cum viridissimum senium illud intueor, non possum non prædicare nostram felicitatem, qui talem nacti Principem sumus, cui nec in minore ætate defuerit unquam senilis maturitas, & nunc in granditate ista annorum virile adhuc suppeditet robur. Nempe vigiliis pluribus, laboribus infinitis, curis perpetuis, aut fatigandum corpus aut animum habent, qui sedent ad clavum Reip. & dispensandis gentium fatis à Deo præpositi sunt. Ergo ut suo sufficiant muneri, ut sustinendis partibus ne impares sint, ac defetiscantur inter negotia, & sic affligant, divinus Plato, quos Reipublicæ suæ instituebat atque formabat Reges, post cæteras dotes, quas in iis requirit, juvenes quoque esse voluit: non florem annorum, & optimam illam ætatis, ut puto, partem, respiciens; sed vividum robur, & incorruptum vigorem corporis: qui sicut juvenem proprius, ita viris ipsis ac senibus adesse non rarò, natis tamen felicius, solet. Talem Poëta princeps designat, cui crudâ ac viridẽ senectâ tribuit: talem Te, PRINCIPUM MAXIME, datû nobis jam olim, & nunc superstitẽ læti latitiis omnibus gratulamur. Quid incom-

incom-



incomparabilem Conjugem tuam memorem, quæ pietate post Numen secunda te semper colit. semper amat? Quid natos maximos, quater geminas illas spes atque oculos Reipublicæ? Quid illustrissimi nominis filias? Quid excelsissimos Generos? Quid natam ex iis tot florentissimorum nepotum turbam? Qvos salvos & sospites cum hodiernâ luce aut intueris amplexus coram, aut accipis famâ; quam ampla & uber delicatissimi animo tuo materia gaudii nascitur? Quæ gratulationum leges efflorescit latissima? Nam toto hoc anno quod tuum in sanguinem non ulla sævit clades; quod dulcissimorum tibi pignorum integer numerus imminutusque constat, quanta benignitas Numinis? Quæ tua nostraque felicitas est? Nec sum ignarus, ac mecum peregi jam ante, quid curiosus mihi auditor hoc loco objiciet: Serenissimi Daniarum Norvagarumque Principis, desideratissimi Generi tui, DOMINE, casum, & ipsa initia anni hoc luctuosissimo nobilitata funere inculcans. Neque infiteor multum tibi doloris in illo vulnere, magnamque illatam filix cladem; at quotusquisque negaverit, infestum hoc fulmen immenso quidem fragore tuam perterruisse domum; non concussisse ipsam ruinâ: ut licet dejecerit ac deturbarit ornamentum ejus illustre ac ingens; compagem tamen structuræ illæsam reliquerit. Quid quod durissimo huic tempori tuo non defuere solatia: & ipso in medio luctu adeo intervenerunt subinde, quæ avocarent dolorem, ejusque acerbicatem voluptate aliquâ interfunderent ac mitigarent. Ex quibus quid aliud, quam singularis ac summa in te benevolentia Numinis, destinataque ab eo in istum annum Tibi felicitas documentis certissimis patet? Valde quidem utebat implici-

E s

tum



tum morbo excipere Generum; sollicitam valetudine Domini filiam amplecti; at illud ipsum videre & aspici, illosque affectus sanctissimos obtutu, sermone, osculis miscere pariter atque accendere, quam dulce erat? Durum ac illætabile meritò dixeris, quem abeuntem plenus lætissimæ spei dimiseras, & faustis omnibus optaras reducem; hunc infelicissimo nuncio supremis post paullo audire admotum; sed quod assistere valetudini ejus, quòd deficientem fovere sollicitè, quod interesse sermonibus ultimis licuit, & satiari aspectu novissimo, & morientis claudere oculos, & cæteris, moestæ quidem, non injucundæ pietatis tamen officiis fungi, quam recreabat? Et ille cum in piissimæ Conjugis osculis spiritum poneret, cum inter affectus charissimos, in conjunctissimi cujusque complexu obiret diem, quod mortis habebat solatium? Nondum commemoravi, quantum solitudinis Tibi pro filia ademtum in eo ac curæ fuerit, quòd tanto obrutam casu atque prostratam levare coram, erigere, alloqui atque solari tam oportunè, quam efficaciter licuit. Minus enim & acquiescit facilius angor, cum cui timemus, ipsum amplectimur; cum observare coram laborantis momenta, & prout ægritudo per intervalla intendit remittitve se, sic applicare remedia licet. Et quæ præsentia magis excogitari dolori fomenta poterant, quam tantæ filiæ quæ tantus atque tam pius pater expediebat? Videbor demens, si excusandis tristibus diutius immerer, cum tot lætissimorum narratio abblandiatur. Nam licet, quæ semel tulerint fata, recuperare fas haud sit; lenius tamen affligit clades, quam novæ bonorum accessiones penlaverint. Ergo cum jam per totam aulam ferale incederet justitium mœrerent proceres,

squam



squaleret vulgus, operæ ipsæ silerent omnes ( nisi quatenus ministerium funeris agerent, & adornandis exequiis exercerentur ) non quisquam adeo doloris & luctus ageret expers, ecce, mox puerperio principali augustum perstrepat limen, & nata maximo ac vetustissimo liberorum mascula Tibi affertur proles. Qui simul increbuit nuncius ( est autem in prosperis velocissima fama ) quæ dissidentium pugna affectuum incubuit illicò omnium animis, cum inde luctus & mœror, hinc exultatio gaudiumque gradum conferrent? Eterant utraqve in parte ex causis ipsis vires haud multum dispares; nisi quod abblandientis gaudii non æquè ingrata violentia austeritatem mœroris ad quædam quasi induciarum pacta non ita invitam perduceret. Ita fiebat, ut suum utrique maneret jus; donec doloris sensus concederet tempori, lætitiæ fructus superaret. Dabis, ut spero, curiositati meæ veniam, SERENISSIME PRINCEPS, si intima animi tui rimari videar; nec ad prophanam audaciam interpretabere, quod motus etiam tuos, ferre foras & evulgare sustineam. Ad emergentem enim hanc novi sideris lucem, quis te gratissimus tenuit stupor, vix loqui ausum, ac pene nec credere tantam felicitatem? Quis impetus gaudii omnes mox pertentavit sinus animi, cum nobilissimum parvulorum pulcherrimumque primum levares ulnis, dulce onus, ostendens patri similitudinem sui & tuam; Quibus ardisti affectibus, quæ concepisti auguria animo precatus tacitè Numen æternum, cum novellum nepotem mactum pietate, mactum virtute, per domesticæ laudis exempla ( quæ efficacissima disciplina principum est ) adolescere feliciter, & dignum avito patrioq; fastigio olim dare juberet heredem? Audiet, audit



diet orantis vota magnitudinis tuæ auctor Deus: & quid si rata fore jam tum, cum nasceretur hoc novum spei nostræ præsidium, clarissimis idem monstravit signis? Nam quod exortus ejus in ipsa initia alterius seculi incidit, ex quo in gentem tuam, DOMINE, facer imperii ensis & Septemviralis illa concessit purpura, haud temere est. Et ominari licebit, in centum alios ac alios annos (modò tamdiu duraverit seculum) dignitatem hujus fastigii domui tuæ Deum, sic quasi pignore dato, despondisse. Cæterum nobis ac patriæ, ab isto infantia gradu ùm adolevit in virum puer, quæ non lætissima candida quæ promittet, cui tenello ac parvo tot imperare moerentium lacrimis, & tam atrocis squalorem luctus detergere benignitate fati sui concessum fuit? Nondum ex gaudio isto resederant animi, cum secundum naturæ, MARIAM ELISABETAM HOLSATICAM; lætissimo partu gemellos enixam acciperes. Quod rarum magnumque in modicis quoque penetibus, quam felicitatis gloriam principibus addet? Mirum in modum se offerebat Tiberius suscepta à filio prole geminâ; jactavit quæ apud Patres in Senatu palam, *nulli ante Romanorum ejus fastigii viro id contigisse.* Sed Livia Drusi nec prolem ullam ediderat ante; nec nisi semel, quod constet, postea peperit. Itaque primo experimento uteri statim omnem prope modum fecunditatis gloriam consumsit. Vitibus similis, quæ ex unius ubertate auctumni mox langvent, & hinc effæta annorum sequentium spem defraudant. Tua MARIA ELISABETA, DOMINE, quæ felicissimi uteri pignora, quam Tibi nepotum turbam dedit ante? Quæ post bissoni ipsius partus gloriam cum ad gemelli hoc editi sideris demum ascenderit decus, quod



quod inexhausti vigoris documentum exhibuit? Videnturque hanc imperasse ubertatem sibi quodammodo, non partem ut famæ hoc nobilissimo colophone imposito cessaret deinceps; sed eam ut tueretur hoc tempore maxime, & splendidissime amplificaret, cum illustranda anni tui esset felicitas. Nimirum præclari impetus quidem laude non caret, inchoare magnificè: sed non pertendas nobiliter, quæ ceperis, veræ magnæque virtutis auferre titulum non potes. Hæc enim sola est, quæ non quiescit ac cessat: quæ post egregium opus non defertur & languet; sed ipsa honestate ejus subinde se recreat, & sibi adigens stimulos ad majora ac pulchriora studium industriamque perpetuo accendit. Quo exuberantius igitur & excellentius in Tua fecunditatis meritum est; tanto inferior Livia est: tanto tu major feliciorque Tiberio avus. Occurrit ex alio aliud: ac succedentium gaudiorum tuorum celeritatem vix potest æquare orationis velocitas. Nunc enim Serenissima Hassorum Princeps, SOPHIA ELEONORA, mihi pervellit aurem, atque in cæteris instrumentis felicitatis, quam Patri optimo hic annus attulit, referri & ipsa meritò postulat. Quæ Te post paullo, æmula velut & quodam pietatisnè an fertilitatis certamine contendens sorori major natu, tertiæ decimæ prolis exoptatissimo nuncio exhilaravit. Piget me vehementer sterilitatis ingenii, nec mediocriter meæ irascor infantia, quod de fecunditate Tuarum admirabili, de inusitata felicitate tuâ, tam jejune adque exiliter loqui necesse est. Quam gratulantur tibi haud pauci, quam se beatos existimant, quod semel ac iterum tollere liberos: quod unum & alterum nepotem videre datum fuit? Tu pater ac genitor factus es decies; Tu in  
trige-



trigena nepotum sobole novies vicesqve avus, in trinā novissimè bis uno mense, in quatergemina ter, nondum integro semestri. Conferte scrutatores antiquitatis de priscais annalibus exemplum par: dicite curiosi recentium, quis hodie princeps in tot ramosqve ac surculos vivus vidensqve diffuderit stirpem? Sed nihil huius poteritis. Tanto illustrius itaqve, ELECTOR, amotis divini in Te fortuna hæc tua documentum præbet, quò patcius rariusqve hoc impertire genus felicitatis Sator rerum consuevit. Nec nisi iustitiæ cultoribus & Dei charissimis arcani oraculorum cœlestium libri numerosam sobolem, & genitos genitorum, & duraturum per posterorum ætates omnes genus promittunt. Maeste hac felicitatis prærogativâ, DOMINE; maeste, inquam, & diutissimè gaudiis fruire, quæ favor Numinis, quæ anni huius felicitas in lata tuorum fecunditate tibi indulget. Quæ omni ex parte ut sibi constarent, nec quicquam deesset, quod delectare in liberis, quod perpetuitatem domui tuæ ominari posset, AUGUSTI etiam tui, Archipræsulis Magdeburgici, cum ANNA MARIA Megapolitana, nuptiæ effecerunt. Cujus auspiciatissimi fœderis pactio, cum jamdum Tibi exoptatissima & jucundissima accidit; tum lætissimorum imposterum plurimos nuncios gaudiorum, & festa gratulationum officia spondet. Debetur enim sequentibus etiam annis sua felicitas; nec decrescenti ætati fomenta sua decrescere oportet. Ut eò securior tua senectus sibiqve minori oneri sit, quò pluribus munimentis innititur. Conditorum Romani Imperii Augustum adeo usqve indulgentissima usum fortuna, tantaqve admirationi felicitatem ejus fuisse antiquæ literæ memorant, ut in votorum



rum abierit formulam. Cum quoties aliquem, vel supra humanæ conditionis desideria beatum optarent, FELICIOREM AUGUSTO, precarentur. Et dederim ultrò, non potuisse ei in terris, non excellentius dicam ac majus, sed verò divinius cœlestiusque contingere, quàm quòd de lare privato, & nondum Senator, ac juvenis valde, ad principatum orbis terrarum, difficultatum omnium atque discriminum victor, pervenit. Sed quàm infelix idem fuit, quàm æstimandus paret erat, quàm fulciendum herede legitimo tantum imperium? Nam præter unicam Juliam nihil ex se susceperat prolis. Et quando solatio esse poterat, quàm relegare ob vitæ probra, quàm vomitum suam ac carcinoma dicere, haberet necesse? Cujus adeò ipsum pœnituit, ut profiteretur, se malle libertæ ejus parentem esse, quàm, ne patronæ flagitia prodere cogeretur, suspendio vitam finierat? Jam Cajum & Lucium Cæsares, nepotes suos, quò optimiore spe adoptaverat, subsidia sibi, eò acerbiori funere extulit. De Tiberio autem privigno ejus quid dicam? Quem non, quòd amaret, inseruit stirpi; sed quia impotentis uxoris precibus expugnatus erat: & successorem legit sibi, ut diritate morum exosus suum desiderabiliorem principatum efficeret. Usque adeo maximum virum fortunæ in liberis destituit indulgentia, cum idem & felicissimus principum, & patrum esset infelicissimus. Quò liberalius tecum, DOMINE, Numen egit beneficium: quod ita Tibi prospexit, ut dares ipse successores Tibi, non aliunde acciperes aut quæreres anxie: nec adoptionū incertis ancipiti judicio mandares securitatis publicæ spem; sed indubitato sanguinis jure heredi legitimo crederes. tantò meliori Tiberio, quàm  
tò



tò Tu ipse hac parte Augusto felicior es? Longè, præcor, sit illa dies, & ævo nostro posterior, quæ Te solum mortali corpore cælo transcribat. Sed quando-  
cunque illa demum, non nisi serissima tamen, veniet, quàm lætus & hilaris oppetes fatum, cum tot præsidia populis tuis, tot fulcra firmissima in stirpe tua relinques? Non classes ac legiones; non alitè conditæ opes atque thesauri, vilida æquè munimenta imperiis sunt; quam liberorum numerus, & non incertus successor, & patre optimo nihil deterior proles. Cum non necesse discordi votorum ambitu deliberare sollicitè, quem præfici Reip. oporteat; non concertare per factiones periculolas suffragiis; aut jam electos ac repudiatos invidiâ odioque vel inter se, vel cum Republicâ, professa semper perniciæ ejus committere; denique, cum principatus atque imperium non arte, non gratia pecuniæ emitur, aut rapitur vi; sed sumitur jure, & regnum successor, tanquam hereditatem legitimam, adit accernit. Quid quod videri extinctus haud potest, qui, licet decesserit, in suo sanguine tamen imperet, & in posteritate agat superstes. Nescio, num mihi reddendum hoc loco sit, quod simul & vellit & concutit animum, quantoque implet horrore, tantâ eundem indignatione accendit. Quia tristissimum, confundit & addonat; & rursus ingenti concitat motu, quod atrocissimum est ac indignissimū. Sed deprecatur atrociam præsentis diei jucunditas; & hodiernæ lætitiæ exultatio, memoriam quoque tristium fugit. Quid faciendum itaque mihi in tam ambiguo negotio est? Quam dare aut denegare voci veniam oportet, ne, aut silenda proferat, aut commemoranda omittat? Sed vincit pudoris modestiam, iræ justissimæ impetus; & erumpentis dolo-



doloris moles, quicquid obstiterit, dejicit facilè atque proculcat. Quod si majoris felicitatis propemodum est; evadere, qui imminentes intervenerint, casus ultimos, quàm inoffensis prosperis frui; penè injuria Nominis fuerit, tacere rem, quæ providentiæ ejus maximum verissimumque testimonium reddat. Existitit, AUDITORES, existitit, quem quo apellem nomine, nescio: piaculum certè hominis, ac seculi crimen; qui eò prolapsus impietatis desperatissimæ est, ut adoriri (ô nefas ultimum!) securitatis nostræ asylum insidiis, ut Patrem patriæ tollere; ut universam stirpem ejus, spei ac voti nostri portum (horresco referens) excindere atque delere funditus; quicquid virtutem audaciamque opponeret, sternere, fundere, jugulare; aulam omnem ac urbem terrore, luctu, cædibus implere; diripere opulentas domus, non parcere modicis, funestas omnes aut calamitosas reddere, destinaret. Heu, cedit in quemquam tantum scelus? Huc ergo profecit seculi nostri improbitas? Si quis ex prima ruditate temporum, quam prædicant literæ veteres, cùm imperita mortalitas sine more ac lege, ferino cultu, degeret vitam, & sola libidine regeretur, rediisset ab inferis; aut hodie quisquam ex ultima orbis barbaria, ignarus juris, prophanus religionis, nullâ unquam disciplinâ formatus huc pervenisset, & tam scelestæ ac parricidali cogitatione obligasset animum, ætati, moribus, patriæ id referretur: in tanta rerum notitiâ, qua provocamus antiquos; in tanta luce veritatis æternæ, & copiosissima illa æqui pulchrique scientia, quis tam sacrilegis ausibus quæri color, quis inveniri prætextus à solertissimis etiam queat? Procul dubio, ô Parricida, te infernalium Furiarum flagella, te manium Stygio-



Strygiorum agitarunt faces; quin ille ipse in universi  
humani generis perniciem intentus perpetuò ac ope-  
ratus Genius malus hanc furiosam tibi immisit vesani-  
am, quæ simul & omnem consilii rationem tolleret, &  
conscientiæ sensum adimeret, & curam religionis ex-  
cuteret; quin ipsum vindicis Numinis metum extin-  
gneret prorsusque deleteret. Sed quanta immanitas  
tua versutiaque, Prophane, in disponendo pariter &  
instruendo sceleris tui negotio fuit; tanta & fuit in-  
dustria Numinis ac vigilantia in deprehendendis juxta  
molitionis tuæ nefariæ machinis & dissipandis. Quæ  
licet nullo indicio proderet se, & intra unius pessimæ  
tuæ ac sceleratissimæ mentis conscientiam tota conde-  
reretur altissimè; reiecta præter spem tamen & patefacta  
admirabiliter illo ipso fuit momento, cum incitanda  
jam esset tempestas feralis, & peremptorium illud in tot  
angusta & sancta capita mittendum veluti ex sereno  
fulmen, ut tanto infestior tristiorque ejus veniret rui-  
na, quò minus signis provisa esset. Ite insipientis sa-  
pientiæ consulti, & persuadete animis vestris, nec vitam  
cujusque, neque salutem Principum Deo esse curæ:  
ite; & credite, imperiorum fata rapi casibus; aut ver-  
ti agique humani ingenii commentis. Nunquam  
magis providentiæ cœlestis administratio patuit per-  
vigil: nunquam divinæ industriæ cura, quæ consulit  
semper, quas sibi secundas vicariasque potestates lega-  
vit terris, clarius fulsit. Illa ex omnibus igitur & cui soli  
imponi non potest sempiterni Numinis vis, illa fando-  
rum nefandorumque dijudicatrix majestas, quæ audit  
omnia, quæ cernit omnia, quæ abditissima mētium etiam  
rimatur ac penetrat; illa pietatē tuam texit, DOMINE,  
illa avertit, quæ imminebat, ruinam domus, nefariumque;  
exe-



execratissimæ amentiaæ impetum elisit ac fregit: ut factum horrendum casus tristissimi imprudens evaderes, tuique in hodiernum diem usque salva intemerataque nobis constaret anni felicitas. Scio ELECTOR SERENISSIME, quàm nihil ejus apponi gloriae tuæ postules, cujus æstimatio tota ad Deum pertineat: ac malis adeo mentionem talium secretis apud Deum sermonibus fieri, quàm in celebritatè ac luce hominum. Sed moderari magnis affectibus difficile est: & poterat tantæ rei silentium nos, aut parùm pios arguere, aut parùm prudentes. Qui non intelligamus tum magnitudinem beneficii cœlestis, tum nostri officii ordinem: & imperitâ vecordiâ prætereamus nunquam silenda. Neque verò Tibi, ELECTOR, de tua tantum, Tuorumque vitâ incolumi, verum etiam de salvâ & incorruptâ auctoritate, summâ & maximâ dote Principum, hodierno die gratulari oportet. Quæ in virtute licet, re cœlestissimâ, & supra casus positâ longè, fundetur maximè; non rarò tamen aliquas vices patitur fortunæque sentit vim, jamque vel infelicitate fati publici, vel ætate gravata inclinatur. Quid Galbam evertit, quam senectutis fastidium? Nec alia causa vult Nerva, sibi que adjungere consortem imperii coactus est, quàm senii ac orbitatis suæ ut vindicaret contentum. Tibi inoffuscatus perstat amplitudinis splendor, & in ætate non nimium dispari indeminuta existimationis dignitas floret. Neque enim in umbra ac in cubiculo abscondis annos, & otiosa atque inertis solitudine aut regis aut solaris ætatem: in Senatu, in Curia, in campo ac opere versaris assidue: & exerceri laboribus, sudore diffuere, pro ludicro ac remissione negotiorum habere soles. Ita consilio æquè ac robo-



re validus tueris majestatis vim: Tibique & apud æquales magnifica æstimatio, & apud juniores religiosa reverentia manet. Hinc est, quod sicut sæpius ante, ita hoc anno maximè tot Illustrissimi atque Cellissimi Principes inviserunt ad Te, tum exhibendi honoris officiique, tum capeffendi consilii causa: neque propinqui ac consanguinei tantum; sed laxioribus etiam vinculis cum tua connexi fortuna. Quid de Legationibus amplissimis dicam, quarum non pauca, cum ab Imperii Summatibus, tum ipso ab Imperatore Augustissimo, quo nulla major in terris & Deo immortalipotestas prior est, de maximis rebus agendis ad Te fuerunt permixtae? Nec hinc silendum, quod tanti atque diversi exercitus tam modeste ac sine maleficio per tuas transierunt ditiones, ut togatorum putares potius, quàm armatorum incidere agmina; nec tam ad bellum, quàm pacem, ire viderentur. Scimus mores ac disciplinam militiæ: nec ignoramus, quàm ægrè haberi bella cum bonis artibus possint; itaque hæc continentia militis & iter tranquillum non tam ingenio ejus, quam reverentiæ nominis tui, & hujus anni felicitati est imputandum. Nihil adhuc de non interrupta quiete in cæterum, nihil de rerum omnium abundantissimo retuli proventu. Quæ tamen dissimulanda non sunt, ut illustretur felicitas nostra, & eò videatur absolutior, quòd neque hac parte destituatur. Fecitque? hanc ubertatem copiarum ipsa tranquillitas publica non conspectiorem tantum, verùm jucundio rem & gratiorem. Quid juvet enim vario hortos luxuriare fatu arborum? Quid fluctuare opimis mesibus campos, aut temulentia nobili turgere vineas, si tanta munera anni armorum furor atque licentia aut corrumpat vel vastet.



stet in culmo, in arbore; aut jam collecta in horrea consumat nequiter ac perdat, evanescente agricolæ spe, & omni laborum adempto solatio? Quem in præsentī nec facti operis pœnitet, & ipsa, qua fruitur, copia, ad aliud, quod instat, efficacissimè invitat. Gestit idem & arbores serere, quarum nepotes suos carpturos poma, spe lætus præsumit: & Vinitor colit cum gaudio vi-tes, quarum fructibus beatorem se videt ac sentit. Læ-  
tantur omnes tam profusâ liberalitate anni tui, DO-  
MINE, & nunc intelligunt demum quanti faciendę  
bellorum hæc ferię sint, quas tuâ virtute prudentiaque  
nobis peperisti. Referat Numen sanctissimum dig-  
nam pietate tuâ gratiam, qui ita armis moderatus es, ne  
Te tuosque everterent: sic circumspexisti otium, ne  
quid communi causę præjudicares. Reposuisti arma,  
quę posses resumere, si expediret in publicum: non  
reliquisti, ut desereres, & reposuisti ut paci esset locus:  
quam quę non quærunt bella, detestanda, impia, atque  
sacrilega sunt. Non qui securitati communi antepo-  
nat dolorem aut cupiditatem propriam; sed bello se-  
curitatem qui petat, hunc bellicosum ac fortem dixeris;  
magnum de cetero & sapientem, qui potens sui nec  
provocet bella, nec timeat: & equę stringendi atque  
condendi ferri sciens in tempus utrumque consulat re-  
ctę suęque saluti advigilet. Nam infinitam dare licen-  
tiam armis, & ob triumphī honorem ac pauca infru-  
ctuosa folia, res atque fortunas patriæ indubiam atque  
incipitem contentionum conijcere aleam, vani  
levisimique ingenii est, & qui timeri latius, quam  
imperare iustius velit. Ridicula res est, quam  
narraturus sum; à luculentis tamen scriptoribus  
tradita pro certo. Qui Mexicanos illos barbaros  
F 3 ferunt,



ferunt, quem nuncupaverint regem, sacramento adigere; bellatorem fore egregium, nihil in suos acturum vi, redditurum ex æquo cuique jus; de cætero effecturum strenuè, ut currat Sol, ut luceat Luna, ut tempestivæ cadant pluvix; non rivi, non flumina areant, & inexhausta ubertate terra annusque affluat. Perinde Burgundos legimus, deturbasse de solio Reges, si destitisset fortuna in bellis, si afflixisset annum sterilitas, & alia tristia evenissent. Exegerunt ab homine igitur, quæ divinitatis propitiæ munera sunt, nec nisi impetranda ab eo, qui primùm creavit. Sed nata hæc consuetudo jocularis, dubio procul, ex illa omnium gentium prope opinione gravissimâ est, quæ omnem felicitatem publicam à labore, industriâ, justitiâ ac probitate principum expectandum putabant. Ægyptios enim ingeniosum & sapientem populum, læta ac prospera sua assignasse Regnantibus testantur auctores gravissimi: & ille in veræ prudentiæ exemplum à maximo Poetarum productus Ulysses, sub bonis ac religiosis Principibus, non fallere vineam, non terram negare depositum; ætates hominum pecudum quæ fecunditate lætissimâ augeri; nihil acerbitalis, nihil adversi casus ingruere; degere quemque feliciter, & plane pro animi voto, auguratur. Quod si de lustri sui felicitate ille Censorius Cato gloriatus haud leviter est, & abundantiam copiarum, suæ virtutis & sanctitatis premium statuit: optimo jure Tibi, ELECTOR SERENISSIME, de eo quoque gratulamur hodie, quod tanta hujus anni fertilitas tuit, quanta vilissimam facere posset annonam: tanta salubritas, ut nusquam furere morbi, nusquam serpere audirentur contagia: ea præterea esset quies, quæ fruendis his bonis suffi-



sufficeret. Eat in secula tam singularis exemplum anni ac doceat posteros, non numerorum arcanam potentiam, non formidolosos annorum circuitus, non sceleratorum hominum machinationes nefarias convertere fortunam, quam charis suis destinavit Deus, tantò potentior numeris & omni temporum lege, quantò iisdem antiquior ipse ac prior. Eat in secula, & apud futuras testetur etates, hoc chariorem Deo Principem nostrum esse, quò abundantior ejus benignitas in dispensandi anni hujus felicitate agnoscitur. Quæ tanta est, ut novum ex se in laudes tuas, DOMINE, conferre cognomen, & impertire jure queat, quod falso ac superbissimè quondam Sylla sibi asseruit. Nimirum quod expugnasset patriam, quod in tyrannidem ac servitutem convertisset civitatis liberæ statum, quod multa millia mortalium trucidasset crudeliter, magnam eorum vim spoliasset avarè, nec pauciores proscripsisset; luctum, miseriam, vastitatem invexisset ubique, & hæc impunè fecisset omnia, se fortunatum existimabat. Ego improbitatis successus felicitatem haud dixerim. Nec beatum putabo, ex cujus secundis in ceteros omnes calamitatum extiterint causæ. Justius, DOMINE, hic Te decere titulus poterit, quem non libido atque crudelitas in aliorum perniciem velut secundis illata ventis; sed favor cœlestis, & divinorum ubertas munerum FELICEM declarat. Inde enim est, quòd salvum & sospitem hodie Te, quòd integram domum tuam haud tantum, sed auctam quoque egregiè; quod satis quietam florentemque copiis intuemur & cernimus patriam, majoraque deinceps & uberiora exspectamus. Meritò igitur faustis ominibus nunc universa civitas fremit; ordines



omnes ac status & laxant gaudio animos, & acclamationibus festis resolvunt ora. Nec per privatas domos tantum lætitiæ hodiernæ vagatur solennitas; sed curias ipsas, domicilia illa iusti ac æqui; sed officinas sapientiæ, gymnasia nostra ac scholas, implet. Ipsum hoc templum, religionis ac pietatis sedes sanctissima, quibus concentuum modulis, quâ sonorum varietate in voce, in organo, in fidibus strepit? Ipsi inclitorum tuorum majorum tumuli, & isti eorum vultus ac simulacra, quæ fusa ære, aut ducta faberrimè marmore in proximo cernimus, moveri quodammodo, & quendam publicæ gratulationis sensum videntur percipere. Quorum beatissimas mentes & DEO junctas arctissimè, ut otiosas securasque nostri credere haud est; ita quis dubitet, id in præsentia agere maximè ac dare operam, ut desideria pietatis nostræ ac vota sanctissimo, quod circumstant. Numini commendent? Te itaque Sator rerum, & causa mundi initialis, PATER ÆTERNE, Te, nec posterior nec minor Patre, Servator orbis, ac sospitator, quod candidisti, operis, ÆTERNE FILI; nec non qui utriusq; amor & inenarrabilis copula es, Sanctificator animarum fidelium, SPIRITVS ÆTERNE, Te, inquam, trinum nomen, & nomen DEI unius unum publica voce, quàm devotissimè fieri potest, obtestor, oro, veneror; tuere, custodi, protege hunc hodiernæ, cuius es auctor, felicitatis nostræ statum: tum si quid deest, indulgentissimè supple: & sic firmatum ornatumque incrementis latissimis in omnes transfer atates. Serva ac sospita Principem nostrum felix ac bonus: fun-ctioq; mortalium statione longissimâ seros, nec successores alios suffice, quam quos jam dedit, sanguinem suum, quem æternum præstabis. Horum consilia



consilia ac mentes tuâ sanctissimâ illâ & sapientissimâ mente gubernâ perpetuò ac rege, bonosq; ac laetos & salutare eorum consiliis eventus aspira; ut sub principibus felicissimis in felicissimo Republicæ statu nos, liberiq; nostri, posteriq; eorum, agamus, colamus, moriamur felices; mox felicissimi tecum gratia tue munere in ævitatem victuri eternam.

D I X I.



## ORATIO QUINTA.

EIDEM DIVO

JOHANNI GEORGIO I.  
 DICTA IN TEMPLO ARCIS PRID.  
 NON. FEBRUARIAS,

HOC EST, IPSIS EXEQUIARVM  
 IPSIVS SOLENNIBVS  
 A. cdo, lcc. LVII,

**S**I quis repentè in cœtum istum deferatur, cum ignarissimus, quid ageretur, sciens; videat tamen, quæ argumenta ex omni se parte incertoris pignoraque ad manum dent, facilè intellecturum crediderim, cui rei hæc instituta sit concio. Hæc ara enim, quæ imminet ponè, hæc, in quâ alto, cathedra, hic ad sinistram qui allevatur suggestus sacer, induta aterrimis panis omnia: hoc ipsum templum augustissimum,



mum, non sicut ante, levissimis vocum ac modulorum  
 concentibus festum ac lætum; sed planctu lamentisque  
 triste ac horritum; hæc vestra omnium denique ora,  
 humecta lacrimis, dejectaque in terram (qui misero-  
 rum atque lugentium habitus est) inculcabant abundè,  
 non tam privatam aliquem larem, aut urbem unam,  
 quam patriam ipsam percussam ac sauciam; nec ma-  
 gnum quendam ac excellentem hominem, sed Princi-  
 pem omnium, communemque adeo patrem, sive ela-  
 tum sive compositum. In quo uno tantum amisimus,  
 quantum possidemus omnes: tantum lugemus, in  
 quantum humani animi dolor intelligi potest. Cu-  
 jus provisionibus atque consiliis, cujus tutelæ ac curis  
 vitam, salutem, securitatem suam ac statum, & retulit  
 quisque hætenus, & omnes debemus: nec temerè sit,  
 qui non in funere ejus, propemodum funus seipsum ef-  
 ferat. Heu, quo prolapsæ sunt nostræ spes! Quem  
 habuerunt vota exitum? Quò tot orantium ante, &  
 pro unius tuo capite, JOHANNES GEORGI  
 PRIME, offerentium sua, ceciderunt preces? Ergo-  
 nè, ô Nomen sanctissimum, oravimus, quæ ferre fui-  
 mus, indigni? Aut impetrari noluiisti, quæ destinato-  
 rum tibi inverterent ordinem? Quicquid sit, dura, in-  
 auspicata, & res miserrima omnium est, optimum ma-  
 ximum principem amittere. Senior quamvis decedat  
 ac grandis, nondum maturè tamen videbitur mori.  
 Ut vixerit multum, non satis vixisse credetur tamen,  
 quâ potuit prodesse. Quòd plura contulerit, hoc col-  
 laturus fuisse videbitur plura, qui benefacere nunquam  
 cessavit. Optimi licet succedant; interrumpetur ta-  
 men semper aliquid operis boni; intercapedò ipsa &  
 mora, dum transit imperium, deputatur in da-  
 mno



mo, molesta certè est. Quocunque oculorum aciem dirigo, quò mitto mentem, obicitur statim aliquid, quod advertat ac trahat, simulque & admirandi prædicandi que Principem, & deplorandi atque lugendi necessitatem imponat. Hic se tropæa triumphique exerunt, quibus servavit patriam; libertatem afferuit, religionem collocavit in tuto, tremendus armis, potens consiliis, effectu felix. Ex alia parte se pacis opera, & munimenta illa securitatis nostræ ostendunt: ordinata judicia, publica disciplina correctæ; leges, aut interpretatæ veteres, aut latæ novæ; à desperatione atque contemptu, quo belli furor adegerat, reducta ac vindicata literarum ac sapientiæ studia; constituti sacrorum ritus, & ceremoniæ ad certam formam reductæ; omnis divinus cultus denique & fidei sensus, definitus, declaratus, magnificeque assertus. Quæ maxima amplissimaque beneficia Principis, ut non delera extinctaque cum ipso sint, & immortalia perpetuaque sperentur; quatenus tamen erepti memoriam refricant, in ipsâ jucunditate suorum fructuum quasi subamare scunt. De quibus cui dicendum sit, & apud Vos quidem, Sapientissimi Patres, quibus & ingens modus doctrinæ, & incredibilis in Principem amor ac reverentia semper fuit, quanto ingenio, quo ore spirituque opus fore putabitis, ut & æquet dicenda, & ad quos dicitur, eorum votis judiciisque respondeat? Sustinui antea quidem in Principis laudibus periclitari vocis meæ exilitatem; sed quanto facilius tum partem fuit, quam totum nunc exequi? Cumque ad anni unius, aut fortè alterius etiam, defecerim opera, quò citius graviusque ad actum omnem ætatis succumbam? Nam neque sublimia atque cœlestia, humiliter; neque splendida

atque



atque illustria, obscurè ac sordidè; nec magna atque eximia, jejunè viliterque explicanda sunt: & talibus vita principis constat; & nihil in mortui laudibus prætermitti oportet. Me verò audentem pietas fecit: & satius est quomodocumque dicere, quàm, cum non dicere flagitium, tacere velle.

Qui oraturi accedunt Numen, in illam fermè se cœli convertunt plagam, unde diei exordium est. Ego perinde, dum nuncupata verborum vota incipio solve-  
re, inde potissimum ducam initium, ubi intercepti sideris nostri lux primùm prorupit. Sed multò diversa Principum ac cæterorum nascendi sors est. Privati enim patriæ jus ultra unius urbis oppidive non extendunt pomeria; Principes, quæ imperant, nati videntur: nec arctiores fines incunabula, quam ipsa illorum ditio habet: ut ortum eorum sibi quilibet vindicet, qui Dominos agnoscat. Non dissimulanda tamen Hermundurorum meorum felicitas est: qui primi grande hoc cœli exceperunt depositum, & mox commune fecerunt cæteris, quod Dresdæ ipsorum propitium commendaverat Numen. Nec nunc excurram in laudes, aut urbis aut gentis, quæ notæ vulgò præconio meo non indigent. Nam quid non habet Dresda, quo efferat se? Hermunduri autem, antiqua & nobilissima natio, quas gesserint res, quod florentissimum olim habuerint regnum ab albi nostro ad ripam Danubii usque, & ipsa Rhætorum productum iuga, prisca canunt Annales. Genus principi, quo nullum antiquius aliud temerè splendidiusve reperiatur. Quod cœptum à Wittekindo magno, vetustissimo Saxonum aut Rege aut Duce, per tot heroum maximorum stemmata incorruptâ nobilitate decurrens, non eminentissima tantum Germaniarum

rum



rum culmina, ipsaqve fastigia Cæsarum, complectitur; sed externis etiam regionibus stirpes inclitas, ac illustrissima decora, quoniam sceptrum ac diademata regia dedit. Infiniti laboris, & longi temporis negotium foret, explicari hæc omnia, & per propagines singulas in ultimam ire originem. Compendii igitur facienda oratio est & sicut augusta ac sancta, cum ingrediendi ac assidendi facultas haud est, veneramur, & præterimus; ita sub religiosæ salutationis honore veluti antiqua illa ac remota prætervectis ad propiora festinandum. Nam de ALBERTO abavo quid dicam, illo Martio pullo: quem ob invictam armorum virtutem, & incredibile animi robur, quidam TEVTONICUM HECTOREM: alii, & miles maximè, ROLANDUM alterum; Principes ipsi, DEXTRAM IMPERII, (quod toties, & tam constanter, asseruit) Imperatores, verò, PATREM CUSTODEMQVE SALUTIS PUBLICÆ, appellitarunt? Quid de HENRICO Proavo, claro & ipso armis; sed pietate & animi magnitudine, quæ opes maximas, in parvis ipse ne veritatem proderet, calcavit ac sprexit, inclito magis? Neque MAURITIUM, HENRICO natum, hinc præterierim: quem cum Virgiliano Scipione bellorum verissimum dixerò vulmen: quippe qui uno anno, ne reliqua tangam, duos terrarum orbis potentissimos monarchas attonuit, certè perterritus: & primus sacrum imperii ens in suam intulit gentem. AUGUSTUM verò MAURITII Fratrem, Avum nostri, quo ore commemorem? Qui neque militari gloriâ caruit, & tantâ, non opum modo, sed sapientiæ etiam atque virtutis opinione, ac hinc paratâ auctoritate, eminuit, ut penes unum, quod illustris: seculi scriptor observat,

rerum



rerum imperii, quamdiu vixit, arbitrium staret. Magna verò & singularis laus; quæ CHRISTIANUM, Filium tamen, ingentis atque excelli animi Principem etiam videbatur mansura, ni destinatorum ordinem factum properum interrupisset. Cujus arcanas rationes religiosius nescimus & veneramur, quam exquirimus curiosè, neque assequimur. Hic est ille CHRISTIANUS, in quo experta vires suas videtur natura, ut absoluti Principis produceret exemplum. Nam quid in eum non contulit dotis, quo posset, aut coli corpus ad exquisitè dignitatè plachritudinis, aut adornari ad summam excellentiam indoles? Nisi quod tantis muneribus perinde vivacitatem ac robur non addidit, ut raritatem & magnitudinem tribuerat. Sed quod omisit in patre, festinando ad consummationem pulcherrimi operis oblita quasi, id mox supplevit in filio, quem, altero & septuagesimo quamvis ereptum anno, tamen deflemus. Edidit \* nobis cœleste hoc pignus altero partu D. SOPHIA BRANDEBURGICA: cui tantum fortunæ virtutisque superfuit, ut eadem Electoris filia, eadem Electoris soror, Electoris nurus, Electoris uxor, & duum Electorum genitrix esset. Gigni & gignere fortuitum: at virtus eligitur: & quibus præfertur, iisdem & antecellit. Quid majus habuit illa Spartana Lampido? quam unam foeminarum in omni ævo, Regis filiam, Regis uxorem & Regis matrem tantoperè admirata antiquitas? Quin impar & minor fuerit ad SOPHIAM collata. Nascendi nubendique sorte non discrepent: quandoquidem regum culmini æquiparatur Electorum dignitas: at neque soror Regis, nec nurus fuit: & unum tantum illa edidit regem, cum duos ex se natos Juvenes, Electores, hoc est, Reges,

\* d. v.  
Mar.  
iii A.  
elo 12  
85



Reges, viderit nostra. Quid, quod non magnum adeo erat Lacedæmone Regem agere: quem, quoties vellent propemodum, in ordinem cogere Ephori, imò constringere vinculis poterant: ut penes ipsos regia vis, apud regnantes inane nomen remaneret? Quare hac quoque in parte Spartana erit inferior, quàm antea videbatur æquasse. Quanta enim vis Electoribus in suis provinciis, quæ in Imperio ipso potestas & eminentia est? Antiqui mortales, Ægyptii maximè ac Græci, Heroas Principesque suos, quorum virtutes ac opera excessisse mortale fastigium existimabant, Deorum sciscebant progeniem. Sic Herculem, domitorem monstrorum, Jovis; sic Bacchum, seu Liberum, non antea visi triumphî pompâ à victis Indis revertentem, ejusdem ex Semele filium pronunciarunt. Romulum etiam, urbis terrarum Principis conditorem, Marte genitum sui Cives ferebant. Nobis necesse non est, ad hæc ludibria & vanitates descendere, admiraturis excellentissimarum virtutum in nostro Principe causas. Quid queramus auctores, quos cernimus? Quid confictitios jactemus parentes, qui novimus veros? Quid nisi inusitatum ac magnum producant corrivati in unum Saxonici & Brandenburgici sanguinis fontes? Magnam quidem Princeps jacturam fecit, cum vix dum sexenni eriperetur Pater. Quantum enim in uno illo ad componendum animi morem in omnem virtutis habitum instar erat? Sed ut exemplum sublatum esset, unde petenda regula, manebat tamen insitum indoli semen, quod in exempla succresceret. Et jam pulcherrimè emicuerat, atque in ortus suos exurgebat latissimè. Ne degeneraret (si degenerare optima possunt) educatorum cura & sanctitas effi-



efficiebat. Qui generosam hanc stirpem finge-  
 bant sedulo, & in decoram rectamque proceritatem felici in-  
 dustriâ dirigebant. Personæ in iis primariæ erant, Illu-  
 strissimus Saxonum Dux, FRIDERICUS GVIL-  
 HELMUS, qui & pro Electore administrabat provin-  
 cias, & ipsa mater incomparabilis: cui nulla deesse vir-  
 tus potuit cum plenissima pietas adesset. Magnus qui-  
 dem Stagiræ alumnus, cum morum naturas explicat,  
 miris iustitiam laudibus tollit; quam Principem non  
 modò atque reginam virtutum, idque in choro earum  
 esse prædicat, quod inter pulcherrimos illos, qui sub-  
 terlabuntur cælo, ignes, candidissima Hesperii atque  
 Luciferi sidera sunt, sed absolutissimam omnium quo-  
 que laudat congeriem. Nec potuit aliter, qui ignora-  
 bat pietatis vim, & ipsam adeò nesciebat. Nam cui pa-  
 tere illa absque DEO potest, qui planè ipsum latebat?  
 Quare Iustitiæ tribuit, quod pietati debebat, quæ ip-  
 sam Iustitiam quoque complectitur, ei que, ut cæte-  
 ris, & impertitur nascendi vim, & subsistendi aspirat  
 robur, virtutum omnium parens æquè, ac basis seu  
 fundamentum. Prima ætas impensa literis est: quæ ve-  
 rum de DEO sensum, & rectum ejusdem cultum infi-  
 nuant: quæ amorem honesti, & vitiorum imprimunt  
 odia, iustæque rebus prætia statuunt; ne parva accipian-  
 tur pro magnis, aut hæc, ut parva, contemnantur.  
 Nam ut accepta hæc annis teneris fuerint, ita in reliquas  
 durant ætates, tentanda haud temerè aut evellenda,  
 Simul & graphidi datum aliquid temporis est, & à colo-  
 rum lusu oblectamentum quæsitum, quo studiorum  
 distingveretur labor, & velut eorum exhilaretur seve-  
 ritas. Nec aliena putanda pictura disciplinis Prin-  
 cipum, recepta inter liberales jam dudum, & in  
 inge-



ingenuæ institutionis partem assumpta à Græcis : quamquam nec spreta Romanis proceribus : & tanti visa, ut cautum edicto fuerit, ne servitia docerentur. Versavit per ætatem & torum, avo æmulus : qui senior quoque ac grandis hoc artificii genus instar diludii habuit, quo fessum Reipub : curis animum remitteret, & sic refectum, alacriorem & meliorem ad repetendas redderet partes. Spectamusque adhuc illius in isto genere opera, arte æquè ut elegantia miranda. Sed in his talibus Princeps non diu hæsit : ne vividum animum detorqueret in alia, quàm quæ promittere magnum Principem possent. Quem artes hujusmodi, ut non dedecant penitus, non faciunt tamen : cujus vis omnis in eo est sita, ut & concipiat magna, & præstet. Quare in ipsis studiis quoque amavit modum : ne hausta fixaque alius eorum cura, ambitiosâ teneret dulcedine, & tempora agendi speculationibus, pulcherrimis illis quidem, parum de cætero tamen ad summam rerum facturis curam, consumeret. Ut multò satius videatur, amorem ac benevolentiam commodare bonis artibus Principes : claram & consummatam scientiam doctoribus illarum relinquere. Et hos quò complectuntur indulgentius ac fovent, hoc efficacius literarum ac eruditionis tuentur gloriam. Non omnia summæ natis fortunæ discenda è liberis ; multa & consuetudo sapientum atque sermones conferunt : & quantis documentis intruit grande illud negotiorum atque aula- rum volumen ? sed duo cum sint, quibus auctoritas Principis cum primis nititur, atque in summum se effert, sapientia pacis, & virtus armorum ; ad horum quoque disciplinas adolescentem ætatem applicuit Princeps, in circo, in campo, in palæstra frequens.

G

Ubi



Ubi torquere hastam, stringere gladium, modò minari, modò inferre iectum, aut declinare eundem peritè atq; eludere; omnes adeò petendi vitandique comprehendere vias; vel expeditè infilire equum, sedere decorè, eundem regere ex arte, atque ad omnem bellorum ac pompæ usum, seu gyro ac flexu, seu diirecto cursu opus esset, attemperare, habebat curæ. Sæpè juvabat exire venatum, ac agitatione ferarum simul & experiri corporis robur & indurare, veteri instituto Heroum. Ità enim Hercules, ità Achilles adoleverunt, & præluserunt virtuti, quam adoraturus mox esset terrarum orbis. Quæ tum alacritas in eo, qui vigor erat? Quantum constantiæ dabat specimen cum nobilissimis bestiis congressus? Nimirum tum augurari licebat, ac omen ducere, quid bello esset factururus, si Reip. olim huc adduxisset necessitas. Est enim venatio quidam quasi Martius ludus, scholaque bellorum: ubi adoriri oblatum hostem ac persequi; excipere invadentem & sustinere: quin supervenire & ex insidiis imprudentem opprimere, non joculari, sed seriâ meditatione addiscitur; simulque & exercetur ad aptam virilemque audaciam animus, & corpus ad patientiam laborum ac tempestatum confirmatur. Excitatus his disciplinis magis magisque gliscebatur & emicabat animus, dum indignatus quietis domesticæ otium, peregrinandi impetum caperet, nec suos tantum, sed alios etiam nosse ac intelligere affectaret. Enimverò ut terræ diversis dotibus, sic populi quoque moribus differunt: neque vel omnia, vel eadem, aut reperiuntur ubique, aut æquè excellunt. Alia alibi florent: & habet quælibet natio egregium aliquid, quo se attollat super alios atque commendet. Principem  
yerò



verò pulcherrima quæque ac præstantissima decent: & quò agendum ei cum pluribus est, eò ingenia plurimum quoque & mores habere perspecta, ad rerum summam haud parum interest. Ivit itaque acceptâ veniâ exterâs oras lustrare, & regiones vilere, quas sui majores peragrassent armis, partâ ingenti gloriâ, in stimulum & invitamentum æmulandi virtutem, occultus tamen & dissimulatâ personâ: eamque ob causâ paucioribus, lectissimis tamen & emendatissimis, comitibus assumtis. Proficere enim peregrinando salubriter, non se ambitiosè ostendere volebat: multaque subducuntur notitiæ Principum â maiestatem eorum veritis; quæ penetrare atque cognoscere privati habitus solertia potest. Sed digna visa Italia est, quæ omnium adiretur prima: multum ex veteri illo fastigio gloriæ retinens, & quodam favore ac studio gentium nondum oblita, se Principatum tenuisse Europæ. Quicquid illa, per Venetos latè, & Insubres, Hetruscosque & Latium, illamque felicem Campaniam, in urbibus ac municipiis, in aulis atque palatiis, magnificentum, splendidum, illustre habet; aut artis usquam ac elegantia ostentat, id visit noster, perspexit, observavit intentè, non perituris chartis spectata tradens, sed felicissimæ insculpens memoriæ, quæ optimâ fide & custodire accepta semel, & faciliè ac sine morâ, cum appellaretur, solebat reddere. Romam illo ipso tempore venit, cum Clemens Octavus Jubilæum solenne indixerat, & indulgentiarum agebat forum. Affuit igitur spectaculo; & populi simplicitati indoluit, qui emeret rarè, quod pœnitentibus gratis patet. Neque enim nundinarius fuit Servator. Sed sepe ministri ingenuam Dominorum liberalitatem corrumpunt ac vendunt. Quo-



cunq̃ue venisset hætenus, non intellectus latuerat : nec penetraffet mimi hujus secretum curiosa quantumlibet acuminis Italici industria, ni Mediolani ipsum oppres-  
sisset morbus violentus ac repens, & omnem scenam  
mox evulgasset. Jacebat ille ardens febribus, & celeri  
præsentique indigebat ope, quæ vehementiam mali ac  
vim in tempore frangeret. Sed excusabant medentes  
auxilium, ob non acceptam à Confessionariis veniam,  
quam impetrari ante ex legibus loci necesse esset. De-  
prensis in hoc articulo, ecquid restare aliud poterat,  
quàm aperire tecta hætenus, & implicatum negotium  
ad Serenissimum Sabaudia Ducem per cursores refer-  
re, amicum Principem, & genti Saxonica necessitu-  
dine devinctum? Nam ab eadem stirpe Saxonica Sa-  
baudiaque Duces descendunt : cum Witekindum  
magnum utriq̃ue, & duos ex eo natos fratres auctores  
generis gloriantur. Sollicitus itaque de salute cognati  
Inclitus Princeps, illi comisit, qui valetudini decum-  
bentis adessent : & jam Augusta quoque Vindelico-  
rum Lindaviaque acciti morborum artifices venerant.  
Non possunt magna latere diutius : cæterum cum e-  
rumpendi semel fama nata est copiam, velocissimo im-  
petu pervadit omnia ac replet. Itaque mox adesse li-  
teræ nunciique Principum, qui ægritudinem nostri  
discerent pariter dolerentque, quin & referrent ad  
suos, advolaturos ipsos quoque ad exsolvendum offi-  
cium, & tanto cum hospite juncturos dexteram amici-  
tiæ pignus. Ipse Romanus Pontifex, solita mitti à  
Præsulibus legavit xenia, & restitutum valetudini hu-  
manissimis verbis invitavit in urbem. Sed tantæ  
omnium comitati prolixam gratiam fecit Princeps,  
nondum collectas vires satis, & festinandum in  
patriam



patriam iter multâ civilitate excusans. Unum Sabaudum, victus, & merito ejus, & precibus plurimis, salutavit Vercellis. Qui cum per aliquot dies lautè magnificeque accepisset, non generosissimis equis tantum (quæ propria Heroum munera sunt) sed multo auro & magni pretii gemmis donatum, non sine exquisitissimâ comitate, dimisit. Destinaverat quidem & Galliam ante, Britanniasque ac Belgium visere; sed sollicitudo Parentis optimæ, & fratris vota, & valetudo adhuc vacillans, alia imperabant. Reversum exacto anno, quâ pompâ, quâ gratulatione, quâ gaudiorum alacritate receperint sui, rem ineptissimam fecero, si parem exponere. Nam quis adæquet dicendo, quæ cogitando vix assequaris? Expletis animis aspectu mutuo (si modò expleri, dum vident, videnturque, amantissimi possunt) mox major rerum se ordo pandebat, cum Oratores venirent, qui ad capeffendam Merseburgensium infularum, quibus delectus jam dudum erat, administrationem invitarent. Et constituta jam dies erat, qua Sacramentum ordines dicerent. Adactis itaque in verba proceribus ac plebe, ordinatoque statu rerum, in aulam fratris rediit, affuturus rebus auspiciis interim: quorum vi ac efficacia nunquam non adest Princeps: & jam de nuptiis incidebat deliberatio, quibus stabiliretur fortuna domus, quæ paucis fulcris videbatur inniti, cum fratri majori nulla suscepta hætenus proles; & per ætatem minor nondum maturus connubio esset. Munimentis itaque opus, quæ opponerentur casibus; qui subito sæpius ingruunt, convelluntque astructa, ni caveas, ac turbant. Nec exquirenda diu fuit, quæ formam, claritudinem, mores, matrimonio tanto monstraret digna. Dispecta



jam ante ipsimet Principi SIBYLLA ELISABETA WURTENBERGICA erat, cum Stuckardianam aulam, occasione Italici itineris, ignoratus intrasset. Nihil absolutius ad pulchritudinem formæ ejus, ætas illa mirata est; & bona animi decoræ juventæ respondabant. Indulgentissimè Principi igitur favisse videbatur fortuna, juncta emendatissimi exempli uxore: quæ inter ipsas blanditias tamen, meditabatur infestum ictum, quo tantam felicitatem incideret; erepto properè bono, quod tanto ambitu videbatur dedisse: cum vix in alterum annum permitteret frui. Non potest describi altitudo hujus vulneris: facile tamen vincuntur tristitia, cum meliora successerint: nec pridianæ tempestatis offendit memoria, quam bonus ac clemens excepit dies. Nam matrimonio altero, quod cum virtutis eminentissimæ Principe, MAGDALENA SIBYLLA, BRANDENBURGICA junxit, quid auspicius, lætiusque, & omni parte fortunatum magis, cogitari potest? Qui inter eos amor, quæ charitas & reverentia mutua? Qui animorum consensus, & conspiratio amica perpetuò fuit? Quod nec in Principum laudibus dissimulandum ideò est, quia discordiæ injuriæque privatorum haud tantum penatium mala sunt; sed potentum palatia etiam aliquandò infestant: cum Livia aliqua Reip. gravis, aut Messalina impotens, vel agrippina superba ac ferox, Principalem domum convellit ac turbat. Quam diversa ab his, & alia pro rursus, exstitit nostra? quieta, tranquilla, placida: procul ambitione & omni regnandi libidine: nihilq; sibi ex mariti fortuna, præterquam gaudia vindicans, & uno amore ac observantia uxorem Principis professæ? Quid de insigni fecunditate memorem, quæ tot lectis-



lectissima pignora, & auctæ immensum diffusæque stirpis novum & inusitatum exemplum dedit? De diuturnitate autem fœderis hujus, quid dicam, per quinquaginta propemodum annos (quantum hoc ævi humani spatium est?) irrupti? Et jam struebat fortuna Principi fastigium altius: in quo & præmineret cæteris, & Augustorum majestati ordine proximus esset. Nihil oblita interim tamen moris sui, & solita ludere pertinax, amara lætis, & ista vicissim miscebat tristibus. Quàm illecebabile erat, primo statim felicitis uteri partu elisum inter materna viscera puerum excludi? Quàm triste ac durum, susceptis feliciter puellis duabus florentissimis, vix natum Principem rursus efferre? Qui mœror metusque, quæ trepidatio ac sollicitudo intercessit tum Principum animis, & universam anxiam habuit aulam? Sed meliore mox fide fortuna adfuit, cum quaternam stirpis masculæ prolem continua serie (ni interjungeretur puella una, nubenda in culmen regium,) indulgeret benignè, cujus duratio solatium nostrum in casu præsentis, & salus tutelaque patriæ erit in posterum. Sed hæc privata quasi domesticaque fortuna Principis fuit. Cum exponendum nunc mihi de publica est, Poëtarum propemodum imitandus videtur mos, qui delati in grandia, centum sibi ora & voces totidem consueverunt optare. In vanum quidem; ceterum ut gravitatem oneris, quod subierunt, & impar amplitudini rerum virium robur, profiterentur. Et acta Principis nostri, quam vim ingenii, quem spiritum, & eloquentiæ, ut ita dicam, cothurnum, si adæquare oporteat, poscunt? Hactenus igitur consiliorum & operum principalium coadjutor singularis fratri Septemviro per aliquot annos, ac altera veluti cervix, adstiterat, in



quam inniterentur fortunæ patriæ; jamque Mulhu-  
sium fuerat missus, ut Electorum interesset concilio,  
& fratris sustineret personam. Sed vix unius diei pro-  
gressus viam, subitis nuntiis de inopino fratris obitu,  
quem fortem hilaremque reliquerat, componendo  
statui, & capeflendis fascibus, revocatur. O mira  
fatorum ingenia! Unum momentum necessitatem im-  
ponit loctus, & principatus fortunam transfert, cum  
neutrum speratur. Auspicanti imperium quæta paca-  
taque publicè omnia erant. Nam & Ungariæ motus  
confederant, & Fratrum ac cognatorum arma non  
amplius turbabant viciniam: & domi compositâ Ju-  
liacensi controversiâ, nihil supererat, quod suspicio-  
nem turbarum movere posset. Sed alibi tamen diver-  
sa inter Principes fœdera agitabantur & partes: adeo-  
que in media pace de inferendis aut repellendis armis  
consultabatur: ut foris cum esset quies, in operto ta-  
men bellatumescerent, eruptura post paullò in mag-  
num, cum primis incipientium, malum. Non possunt  
opulentæ & bellicosæ nationes diu quiescere: cum ho-  
stem extra non habent, domi inveniunt, aut faciunt.  
Nam in prævalidis etiam corporibus, ipsa magnitudo  
virium sibi oneri est, & incrementa sua in pereundi  
convertit causas. Hinc nescio quo infelici fidere a-  
gitata Bohemia mox tristem funestamque tempestatem  
conciebat: versisque ex repentino motu in manife-  
stum furorē animis, legiones ac turmæ passim volabant.  
Quid inter hos tantos tumores rerum & ancipitia face-  
ret noster? Ratus pertinere ad se moti in proximo incē-  
dii periculū, conari, contēdere, facere omnia, ut saniora  
exulceratæ mētes capeflerēt: & cōponēdis dissidiis tan-  
dem dicta ac constituta Egræ dies erat. Sed oblu-  
tibus



tibus fatis, veris consiliis locus non est: occlusisqve ad salutaria auribus, non nisi volentia ac nocitura audiuntur. Et ultrix scelerum, quæ ubiqve gravabant, divina iustitia, jam moliebatur illud fulmen, quo omnis mox conflagraret Germania, Europa tota tremisceret, motis quasque, quicquid uspiam ægrum & morbo corruptum. Multis modis tentabatur noster, ut traheretur in causam; & ne quid reliqui facerent, coronæ tandem ac sceptræ, res inter Deos hominesqve pulcherrimæ, offerebantur. At ille invictus ad cunctas illecebras, nihil aliud, quam limitem firmare milite, & expeditas per provinciam habere copias adversus bellorum subita, cum neque armis belligerantium, neque consiliis pateretur misceri. Quid prius hîc mirer aut veham laude? Magnitudinem animi, an sapientiam Principis? Nam ut vereri atqve metuere; & temperare votis suis, ne ultra fas exeant, sapientis est; ita magnanimi, levare altius animum, & infra se æstimare, quæ vulgo mortales summa putant. Parum præsidii contra armatos & validos in solâ innocentia est; & amiserunt plures pacem, qui pacis immo dico studio armorum curam omiserunt. Generosæ quidem indolis est, petere magna; nobilioris tamen, sui esse potentem. Inane quippe ac vanum, cupere temerè, quæ demta aliis repeti; nec nisi per dedecus, autortarum ruinam, reddi possunt. O divinam virtutem Principis, & æmulam ab avo, qui abstinere delato æqvè Bojemorum regno maluit, quam provocare ambigua casuum, & speciosa tutis præferre. Cum eò esset deventum, ut semel in disceptationem armorum conjectâ causâ, sublatâqve pacis spe, non nisi armis victoriâqve transigi posset; & pro Bohemis Silesia Lusatiâqve

G s

haud



haud tantum, nec non Moravia; sed Dacus acer, Hungariaque consurgerent, quin ipsum imperium se commoveret in partibus; sedere amplius, atque quiescere medium, nec boni civis, nec suum existimabat, cui incumberebat videre, ne quid Resp. detrimenti caperet. Nam orto incendio etiam, cum una domus deflagrat, domesticos vicinosque partes agere satis est; vagante latius ignium vi, & involvente vicos integros, cessare neminem, & quemque cum hamis aut dolabris adesse oportet, qui violentiam flammæ, vel frangat humore ingesto, vel sistat penitus cohibeatque dejectis fastigiis, & si quæ in proximo attrahant malum, ac mittant latius, in communem ruinam. Accessit ergo in partes, sed meliores, & Reip. & eo consilio, quo Favorinus, humanissimus Philosophorum, dissidentium fratrum, amicorumque litibus utrorumque benevolos misceri volebat. Ita enim existimabat futurum, ut chariores hoc merito, & obligati ad utriusque partis concordiam sternerent viam & emunirent. Primum armorum impetum Budissina excepit, superioris Lusatiae caput, obstinata in bellum, & malo suo, pacis spernens. Trahebatur obsidio tamen: si forte mutari in pœnitentiam præsumptio posset. Cujus cum evanesceret spes, ne lenitas Ducis & mansuetudo in contemptum verteret, statuenda exempla erant, quæ adverterent cæteros, & saniora capeßere in tempore monerent. Neque enim ad consulendum sibi omnes aut satis ingenii, aut animi habent: sua nonnullos opinio; consultorum haud paucos pravitas decipit: quidam, ut tuta sanaque accipiant, & comitate trahi, & persuaderi rationibus, & excitari exemplis volunt, efficacibus validisque in utramque partem, siue injicienda spes sit, seu metus animis faci-



faciendus. Neque sefellit providi Ducis augurium; itaque cœptis affuit Deus, ut non Lusatia tantum meliora insvelceret; sed ipsa Silesia quoque, validissima gens, mox sequeretur, consilio magis ac moderatione, quam manu ac vi traducta in partes. Adeo nihil in magni Ducis laudibus efficacius eminet, quam severitatis atque clementiæ artes scitè miscere. Ut pertinacem furorem castiget frangatque in tempore; resipiscences atque percussos ne desperatione evertat: itaque non corpora tantum subigat vi; sed bonitate obstringat animos quoque atque adjungat, quæ maxima omnium certissimaque victoria est. Eant alii, atque excidiis urbium, agrorum, vastationibus, spoliis gentium se efferant, & egestatem indoxisse latè aut solitudinem, laudem ac gloriam interpretentur: novum victoriæ commentus noster est genus; quos bello petierat, beavit pace; convictos erroris & culpæ, innocentiam restituit, & verbis castigasse contentus, non sævit ultrò, eundemque & armis & indignationi posuit finem. Quæ tum secuta rerum conversio subito est? Cum ubi metus & terror & desperatio paullò ante egerant omnia verterantque, hinc gaudium mox & gratulationes ac festi plausus perstreperent: quæ incubuerat modò armorum vis clades excidiaque minantium, hinc pax securitasque incederent, & simultatibus positis, amor, concordia, fides ubique redirent. Putasses bella nunquam venisse, ubi tam læta pacataque omnia erant. Restitutâ Lusatiâ Silæsiâque Cæsari, impositoque jam ante Bohemicis rebus magno die, emergere videbamus profundâ ex nocte in lucem aliquam: cum & Hungaria ad officium rediret, & quæ turbarant alibi hætenus arma, in Batavos ipsos repellerentur. Ac licet



licet deinceps novus à Baltico mari æstus incumberet; eodem tamen mox recedente in se, compositoqve intra litora sua, cui non magna effulgebat spes, cum Cimbricâ pace & suam Germaniæ pacem redituram? Et rediisset, ni ipsi bellorum successus cupiditatem incendissent bellandi, crudumqve religionis studium victoriarum veterum fructus in novæ injuriæ occasionem corrupisset. Sic præter opinionem aliud, & gravius multò priore ac tristius, nobis conflatum est bellum. Nam & majores agebantur causæ, & vertebantur illæ opes in nos, pro quibus tutandis firmandisqve periclitati paullò ante eramus nostras. Sed quotusquisque feliciū, benefactorum servat memoriā? Et quando fortuna non animum mutat? Quid majus ac potius in rebus humanis religione ac libertate est? Hæc tentabantur: & quò impugnabantur acrius, eò & defendenda acrius erant. Projicere enim viliæque habere summa, non levis modò atque abjecti animi, sed impiū est. Itaqve campus quærebatur & acies, & certabatur jam illud certamen, cujus fortuna non vindicatura nos à servitio tantum, aut addictura eidem foret; sed vicinorum quoque regnorum metus aut spes intenderet. Hinc pro utrisque in partibus tota propemodum Europa stetit. Sed inter initia, quid non tentavit Princeps, ut conditionibus componeretur negotium? Et abstinere armis, quæ ponere perindè, ut sumere, in potestate nostrâ haud est? Quâ cunctatione ac morâ, repudiatus licet ac spreus, corripuit tandem, sed ut alacrius mox fortiusqve exerceret causæ Ducem? Magna hîc memorandi mihi copia foret, quos ductarit exercitûs; quas expugnarit urbes ac oppida; quas fuderit acies, quæ vicerit prælia, quas pactus inducias, aut fundamen-



damenta verius molitus sit pacis; sed quis viginti pro-  
pmodum annos unius horæ brevitæ includat? Ma-  
joribus lucubrationibus hæc relinqvenda sunt, integris  
voluminibus explicanda. Quid? quod intempesti-  
vum videatur, sancitâ pace, & factô oblivionis decreto,  
jactare victorias, triumphos ostendere, & de illatis ac-  
ceptisvê cladibus gloriari aut qveri. Inter pugnantes  
adhuc & dissidentes hæc laudi fuerint; apud amicos &  
conciliatos probra habentur: & meminisse de talibus  
nimium, penè injuria est. Id admirabor in Principe  
potius, quod de suscipiendo bello diu tractavit dubi-  
us, licet petitus, quod benè consulti ac providi est: &  
jam susceptum gessit strenuè, quod boni Ducis; & ne in  
infinitum grassaretur, non nisi communi exstingven-  
dum ruinâ, primus suspendit, quod sapientis Princi-  
pis est. Nimirum diversæ sunt boni Ducis, & boni  
Principis artes. Hunc pacem tueri aut facere, ut beet  
suos; arma illum & acies, & præliorum ambigua, & lau-  
rex triumphiqve honestet, qui magnum terribilemqve  
efficiant. Inter hæc ipsa autem quâ moderatione, quâ  
abstinentiâ & magnitudine animi perpetuò egit?  
Nunquam non exstiterunt, qui arma sua libidinis & a-  
varitiæ instrumenta facerent: qui expilare felices, nu-  
dare pauperes, corripere omnium ac convalare fortu-  
nas, proprium maximumqve bellorum putarent nego-  
tium: qui aliena invadere, occupare non sua, jus omne  
collocare in armis, regiam laudem existimarent. Nihil  
commune cum istâ sectâ noster habuit. Tuitus aliena;  
non rapuit: defendit sua, non dilatavit per vim: nec in-  
crementa opum admisit alia, quàm quæ in præmium na-  
vatæ operæ Domini ipsi afferebant ultrò, quos sua vir-  
tute



tute asseruerat. Sed nec ærarium in turpium manubiarum receptaculum, & spoliarium provinciarum sinebat patere; depromendis stipendiis ac sumtibus, quibus necessitates patriæ tolerarentur, aperiebatur. Prædam reliquit, quorum periculo parta erat: ab iis etiam abstinens, quæ gentium jure superior armis poterat tollere; nisi quatenus decerperet seponeretque, quæ alendis armandisque discordiis, & remorandæ paci materiam dare videbantur. Legimus quamvis egregios Duces inter media arma etiam luxum lauitiasque non omisisse; & circumtulisse in expeditionibus tentoria serica, umbracula aurata, sectilia & tessellata pavimenta, pretiosæ vestis ac supellectilis modum ingentem; quæ agmen immensum sequeretur, non qui viriles tractarent curas, sed qui deliciis & voluptatibus operarentur. Videri fœminæ præ nostro possint, cujus comitatus omnis astrictus, serius, necessarius, vereque castrensis: ne oneri esset provincialibus, gravis in rerum summam, dum commeatus alarum ac legionum inutiliter perderet. Procul quæsitæ, & laboratæ magnitudines cœnarum apparatusque advecti longè: parabiles cibi, & faciles mensæ, quas præsens copia, & anni tempus adstruebat, necessitatem corporis solabantur, & sæpè statarium prandium vel jucundissimè reficiebat. Jam quâ laborum & aliarum rerum, quas delicati fugere solent, tolerantiam fuisse credemus, qui cubare sub pellibus, qui æstum, pruinas, ventos, pulverem nunquam gravaretur? Cui in eqvo totos dies discurrere, cohortes circuire ac turmas, adesse ubique, & vel exigere præcepta, vel faciendâ præcipere, refectionis instar erat? Quæ usus & consuetudo castrorum adeò ipsi familiaria grataque effecerant, ut neque domi atque in turbe pla-



planè omitteret. Nam si quod tempus incideret dubium, & arma ac inimica vis se ostentaret in proximo, non intra angustos penates aulae, suo abditus thalamo, curabat rebus, quod poterat, praebebatque auspicia; in vallo, in propugnaculis agebat perpetuò; hinc sibi triclinium, hinc lectum habebat, dies noctesque occasionibus intentus, & sibi uni imponens, quæ tribunis, centurionibus, militi obeunda. Non quod indubitaret industriae fideique eorum; sed ut firmaret exemplo; & ne molestiae essent, quæ ipsum viderent Imperatorem non detrectare. Ubi nunc estis maligni Censores, qui iniqui praesentibus, vetera tantum soletis extollere, & accusare nostra tempora, tanquam sterilia virtutum, & ad edenda exempla magna, effæta atque inepta? Habemus in nostro, quæ opponamus antiquis ducibus, quæ Curiorum Fabriciorumque gloriam æmulentur aut æquent. Sed tantus bello cum esset, an pace minus excelluit, & meliorem Ducem, quam Principem egit? Est quidem conditio ista mortalium, ut alteri altero virtutes plures, nemini omnes contigant: ac rarò inveniuntur, qui in quodlibet Reip. tempus & ubique præcellant. Non pauci optimi armis, pessimi exstiterunt in pace: aut quod in publico quæ siverunt decus, privatim & inter suos perdiderunt. Nostro Principi, tanta concordia, tantusque concentus utriusque laudum generis fuit, ut togâ æquè ac armis magnus, domi perindè, ut publicè, boni Principis consummaret exemplum. Respondit fortitudini pietas; constantiae sapientia: non severitati atque iustitiae clementia lenitasque detraxit. Primum novi principatus opus sacrorum recensio fuit. Missis, qui ritus omnes ac ceremonias inspicerent: in praefectorum ac sacer-

dorum



dotum vitam moresque & instituta inquirerent, viderentque, ne quid abiret à regulâ, quam Avus præscripserat; aut labis, ac prophanitatis divino cultui, quem sincerum imprimis purissimumque esse oportet, aspergeretur. Jam ne quid veritatem sensûs de Deo corrumpere; ne qua sanctissimam fidem nostram ac verè catholicam manu astute subvertere conaretur perfidia, quæ vigilantia illi & intentissima cura perpetuò fuit? Nam & Theologorum conventus egit crebrò, & certos conscribendos libros præcepit, quibus assereretur cœlestis veritas, cavillationes & strophæ Sophistarum refellerentur. Quas supplicationes & preces publicas subindè instituit, nunc ubi mitiganda ira Numinis, arctis temporibus Reipublicæ; modò cum benignitati illius pro summis collatis beneficiis seculares canendæ laudes ac gratiæ essent? Quid in his egit aliud, quàm simul ut suos efficeret pios, & semetipsum exhiberet pium, quem aliàs approbavit etiam, non certæ observationis rigore, aut superstitioso delectu temporum, sed ingenuo liberoque affectu qui non in oculos semper incurreret, sed intra animi deflagraret arcana, non nisi Deo æstimandus. Diestotos orare, & semper affidere altaribus, Sacerdotem, quam Principem deceat. Qui sibi cum subjicit, cujus in terris sustineat vices; & has egregiè ac sedulò fungitur, tum pius maximè Deoque gratissimus est. Qui neque formularum ambitu, & ceremoniis anxiiis; sed fide & simplicitate exoratur. Qui coli ubique & adorari sanctè potest, ut cujus hic universus orbis templum est, in quo & semper & omnibus patet, nec operosâ docendus verborum curâ, qui novit omnia; & tacitas ac secretissimas mentis etiam voces intelligit facile atque exaudit. Quid de Pa-

ren;



rente, quid de Cæsaribus Augustissimis dicam, quos  
juxta immortalem Deum secundâ pietate coluit sem-  
per & veneratus constante est: ac istos etiam, cum dis-  
cessisse in partes alias, & contra videretur dirigere. Ne-  
que enim oblitus ejus majestatis tum quoque fuit, à  
quâ meminerat auspicia ducere: doluit tantum, quod  
impotentia malevolorum juri ac meritis suis prævale-  
ret. In armis itaque stetit, non uti læderet prophana-  
retque sanctitatem Augustam; sed ut erroris admo-  
neret malè persuasos. Vidimus nummum aureum,  
faberrimi operis, in quo affectum suum in matrem op-  
timam, viventem adhuc, sub Bersabeæ & Salomonis  
filii imaginibus, pulcherrimo expressit & dedicavit  
ænigmate: audivimus lacrimas, quas in demortuæ  
funere largissimè fudit. Et quando hæc fluunt, quàm  
cùm affectus immensum exuberat, & maximos cepit  
impetus; ut, cum se capere intus non potest, erumpat  
foras, solutus atque diffusus in istos imbres, quorum  
facilitatem nonnisi optimo cuique suppetere, Homeri  
censuit sapientia? Pietati justitia succedat: regnorum  
alterum ac civitatum fulcrum: qua nescio an quis-  
quam Principum hac tempestate major nostro aut cla-  
rior fuit: siue dicendum incorruptè jus, seu exequen-  
dum non sordidè, aut temperandus ejus esset rigor,  
cum indulgentia veniæ emolumenti plus, quàm pœna-  
rum promittere videretur asperitas. Neque enim in  
Principe severitatem unam, sine clementiæ tempera-  
mento, probem. Jam quantum est, quod disciplinam  
fori & rationem judiciorum certis legibus ordinavit ac  
vinxit, ne vagaretur impunè licentia, & per damnosas  
moras suspenderentur lites ac traherentur in longum;  
aut æquè noxiâ celeritate præcipitarentur malignè.

H

Quid



Quid vestiarias, quid sumtuarias leges, quas tulit, lo-  
quar? Quorum custodia ac observatio, utinam obti-  
neri tam facile posset, quàm necessaria ac salutaris Reip.  
est? Nam ubi luxum & voluptatum cupiditates inva-  
lescere contigit, quæ non emergere vitia simul & ino-  
lescere videas? Nimirum hinc malum maximum & in-  
sidiosissimum, egestas, nascitur: & indè qui potentis-  
simi stimuli in nefas omne & perditissimorum scele-  
rum improbitates? Sed ita seculum est: favemus  
morbis ac valetudinibus nostris: & dum hoc facimus,  
pati remedia non possumus. At erga studia autem,  
quæ pietatem erudiunt, docent firmanque justitiam;  
at circa sedes illorum ac officinas Academias, noster  
quis fuit? Nimirum in his thesauros patriæ, hîc felici-  
tatis publicæ nervos & instrumentum verissimum bo-  
næ cujuslibet artis arbitrabatur repositum. Curare igitur,  
spere, tegere, nunquam non principaliter con-  
tendit. Jam literarum doctores res ac sapientiæ quàm  
benevolè ac honorificè habuit? Quam instaurandis  
eorundem stipendiis, cum impotentiâ bellorum col-  
lapsa essent, seriam atque sollicitam curam accommo-  
davit? Quàm privilegia eorum & confirmavit nobi-  
liter & auxit? In quibus insigne illud ac singulare quod  
& hospitiorum & intributionum militarium, nos con-  
jugesque ac liberos nostros ac fundos pronunciavit  
immunes, & commercialium aliarumque rerum vecti-  
galia benignè remisit. Sed de his laudibus Principis  
cùm alio loco reddiderim, satis fuerit capitulatim hic  
perstrinxisse: cum & ad alia properandum sit. Nam  
quibus encomiis prudentiam ejus celebrem, rectricem  
virtutum omnium, & publici statûs munimentum præ-  
cipuum. Quam ut naturæ bonitas ipsi ingeniiq; indulse-  
rat;



rat; sic usus rerum diuturnior, & tot annorum experientia instruxit mirificè atque perfecit. Ut nemo & verius æstimaret præsentia, & certius callidiusq; futura conjiceret. Nihil propere; deliberatò omnia suscipiebat. Quæ ejus contatio, non tarditatis atque socordix, gravitatis & sapientiæ erat. Gnarus quippe, ad pœnitendum properare; qui judicat citò: facillimeque impingere, qui parum providit. Consultabat eum peritissimis: quos & audiebat æquo animo, & sequebatur, sui minimè sensus, cum meliora intelligeret suaderi. Infinita hujus virtutis documenta dedit; eoque exequi arduum. Sed illud quantum est, quod cunctis fœderibus religiosè abstinuit, quæ novandis rebus, & concutiendæ imperii quieti, cujus nemo alius studiosior fuit, suspicionem materiamvè viderentur præbere? Quantum etiam, quod per inducias, quas pepigit, monstravit aliis, & emunivit nobis ad pacem viam, effecitque adeò, ut tanti boni effectus sentiremus ante, quàm haberemus ipsum: cum per inducias bella ferientur tantùm, non finiantur. Facilior tamen è medio ad summa, quàm ab extremis progressus est. Tàm pius, tàm justus, tàm prudens Princeps, quid mirum, si æquè & felix fuit? Nam fingit sapius sibi fortunam ipsemet sapiens: & prospera fermè lætaque eveniunt contentibus Numen, adversa spernentibus. Quod Poëtarum quoque ingenia conata ostendere, à viris justis ac piis quasdam extra Oceanum insulas cecinerunt coli; ubi in binos gregium fœtus, in duplices fructus arborum, in messes agrorum geminas fœcunditas anni exuberaret. Nec sequitur tantùm felicitas virtutes magnas; prævenit sapius, ipsumq; laborē, præmiū ejus præcedit adeò, ut plerumq; à primâ statim infantia hæreat, quos

H 2

desti-



destinavit Deus fortunis magnis. Et quid felicitatem vocabimus aliud, quàm effectum quendam, aut vim, amoris ac benevolentiae divinæ, quæ res actusque nostros comitata perpetuò, avertit noxia; læta ac salutaria dispensat? Et ab utroque genere quàm felix & fortunatus noster fuit? In Italico itinere gubernatoris inscitiâ, dicam, an negligentia, in paludosa quædam maris & tenacissimæ voraginis loca inciderat, liberatusque mirificè est. Veronæ, per ludi equestris occasionem cum asperum & nondum domitum satis sederet equum, dum oblectatur ferociæ ejus, præsentissimum discrimen capitis adiit simul & exiit servatus. Ardere navigium casu fortuito ceperat, quo vehebatur juvenis animi causâ, secutus fratrem: ut vim flammaram affugeret, audaci saltu experiebatur clementiam fluminis: quod nihilò mitius jam parabat haurire, cum præter spem ope virtuteque fidi hominis, & eadem periclitantis, eriperetur. Quid capitale illud, & cujus nunquam memoria subit, quin obhorrescam toto corpore, periculum loquar, quod homo quidam piacularis, aut malus genius potius humanâ indutus specie, atque ab inferis ipsis emersus, in caput sanctissimum, & omnem progeniem, parricidali & plusquam stygio animo intentavit? Sed prius evasit, quàm cogitatum instruetumque audierat. Non hæc fortuita sunt, & magni illius casus, quem Epicurus jactabat assiduè: à curâ atque tutelâ propitii Numinis est, tam sæva ac tristitia superare ac vincere: cui & imputanda, quæ prospera contigerunt interim, & rebus majoribus struxere causas. Duos fortius fratres erat: supervixit utrique, atque ab altero Septemviralem purpuram, ab utroque amplissimum tot provinciarum patrimonium crevit. De  
con.



connubii felicitate prædiximus: de liberis quid nunc commemorem, quos denos suscepit, reliquit VII. & quam ex iis nepotum, pronepotumque turbam? Numerosissima Trojanorum Regis prædicatur progenies: quam liberalitati fortean Poëtarum magis, quam vero debet. Sed viderit Priamus, plus quinquaginta de suo natos sanguine; quanto felicius & majus octoginta ipsos vidisse nostrum, quorum pater auctorvè exstiterat? Jam sobolem suam Priamus aut captivam reliquit, aut nullam; & quæ extrema infelicitas est, in ore suo pleramque omnem peremptam. Noster & felicitati suorum interfuit, & florentissimis illorum rebus decessit. Quanta præterea felicitas est: quod ita iisdem usus perpetuò, ut nihil in iis, quod quereretur, unquam invenerit? Tanta illorum in patrem pietas, tam incorrupta & constans reverentia fuit. Sæpè natorum cupiditates parentes habuere miserrimos, & atrocissimas concitarunt procellas, cum paternam fortunam præcipere, quam expectare maluerunt. Hic quieta, hic placida tranquillaque omnia & tantum semper obsequium, quantum neque in privatorum larium mediocritate usque quaque invenias. Rarò longioris ævi sunt magni Principes. Seu quia naturæ igneæ vis seipsam consumit maturè: seu quia arduæ ac diversissimæ curæ, dum versant assidue ac distrahunt animum, ipsum attenuant pariter corpus, viresque depopulantur, dum jam fatiscant & cadant. Quare & hoc in felicitate Principis numerare licebit, quod septuaginta & duos propè implevit annos, quos quotusquisque attingit Principum, nedum transcendit? Aliò me numerosa Principis gloria vocat: neque enim adhuc auctoritatem ejus miratus veneratusque sum: quæ tanta

H 3 fuit,



fuit, quanta, cum maxima est, consuevit suspici. Et quisquam dubitet, qui Augustorum duum, & Caesarum totidem designatorem, qui bis per interregnum Vicarium, quem nominamus, Imperii meminerit, qui vetustissimum Septemvirorum, qui unum & experimentis rerum instructissimum, & documentis virtutum ac meritorum copia maximum nondum oblitus? Hic erat, quem colere Imperatores & æstimare; quem visere etiam honoris amarunt causâ; cujus amicitiam non tantum potentissimi Reges per oratores suos expetere, verum affinitatem & impetrare voluerunt. Hic erat ille, penes quem unum arbitrium rerum imperii stetit maximè, momentumque publicum fuit. Plura hinc prætermittenda mihi sunt: dum multitudine obruor, & festinando ad finem, brevitatem confector. Cui tamen navare operam satis in rebus amplissimis ac diffusissimis quis potest? Corpus torolum, solidum ac succiplenum; non laxum, caussariumque contigerat: oris is habitus, qui non terrorem, sed majestatem præferret, & robur animi atque vigorem clarissimis loqueretur pignoribus. De tolerantia laborum nonnulla superius diximus: hinc non omiserim eò referre, quot tot quotidie hominum desideria audire, tot supplicantium votis subscribere, tot consulentibus respondere, obire alia, quæ principis curam provisionemque distringunt assidue; & dum decideret omnia atque absolveret, noctes non raro diebus jungere, cœnandi & quiescendi tempora differre, nunquam fuit gravatus. Quid, quod malevolorum sermones & odia, quod obtruncatorum calumnias, & quicquid cujusque levissimi petulantia ac pravitas in magnas virtutes amplissimaque merita sibi solet permittere, æquisimo animo



animo superavit ac vicit? Majoris constantiæ reputans, calcare ac spernere talia; quàm ulcisci semper ac vindicare. Cultui corporis inorosè deditus non erat: modum amabat: nisi cum tempus locusque splendoris ac magnificentiæ necessitatem imponerent. Nitere semper, & quasi prodire de capsulâ, illorum existimabat, qui gynecæa celebrant, mulierumque amores venantur; non qui in campo, in acie conspici, & in negotiorum arduis versari malunt. Sic cùm accipiendi hospites, cùm exhibendæ solennes epulæ, edendi ludi, & instituendæ pompæ essent, sequebatur principalem magnificentiam; portentosam luxuriam fugiebat. Nec in ædificando alius fuit. Ut daret splendori ac voluptati aliquid; necessitatem & usum tamen magis respiciebat. Hinc tot ab eo exstructæ arces, tot passimeductæ moles, tot munimenta circumdata urbibus, ornamenta per pacem, in bellis præsidia ac propugnacula. Non temerè alius Homericum illud magis habuit pensi, cùm alienum principe statuit, totam noctem dormire, parcus somni, alacer usque & promptus, & virens. Virili cum primis ætate, & illis annis, qui indignantur otium, & cum negotiis committi gaudent. Senectus enim curanda indulgentius paullò, & largiori refocillanda quiete fuit, ut toleraret ac sustineret ætatis pariter & Reipubl. onus. Novimus Principes qui majestatem interpretati, tenere in abdito se, patere nemini temerè: rara sermonis miscere commercia; alienis oculis cernere, alienis auribus audire: quasi supra homines tantùm, non inter homines agerent, & humanitatem colere, hoc dignitatem perdere esset. Quàm alius noster, & quam diversus exstitit? Quod forum, quod templum



tam reſeratum unquã ac publicum eſt, quã Princeps noſter omnium fuit? Nunquam inclufus, nunquam ſolus: obuius ſemper, & penè ultra occurrens, tantã facilitate, ut nemo aut mediocritate ordinis ſui, aut fortunarum faſtidiretur. Nam licet admittendorum dignitas diſcrimen faceret, humanitas admittentis tamen æquabat omnes: quippe qui omnes ſuos agnoſceret. Quod genus propoſiti, ut ſemper tenuit ante, ſic neque decumbens ex valetudine mutavit: quod tempus aliàs moroſos & triſtiores concinnare nos ſolet, & conſuetudinis quoddam frequentiaque movere faſtidium. Legimus Tiberium, cum peragraret amœna Campaniã, ludum animo dans, præcepiſſe edicto, ne quis quietem Principis interrumpere; & diſpoſuiſſe armatos, qui adeuntium prohiberent concurſus; ne quid moleſtiã interveniret aut moræ voluptatibus: quas tantò avidius hauriebat ſenex, quò fruſturus brevius videbatur. Quò juſtius noſter ſibi ſoli dediſſet ægritudinis ſuæ ſecretum, nec patuiſſet, præterquam cubiculariis, aut neceſſitudinibus ſuis, ſubmotis negotiis omnibus, & totã curarum mole in firmiores humeros reſectã: at nihil huius ſibi indulgens, admittere omnes, audire omnes, reſponſa omnibus de lecto dare: atque hæc ipſa, non moleſtiam atque afflictionem, ſed valetudinis putare ſolatia. Nimirum ut remiſſionum jucunda, non aliã magis re, quam contentione corporis ſudoreque, quem luſtra atque ferarum agitatio expreſſiſſent, eſtimare conſueverat: ſic gravitatem morbi laboribus fallere, & ex congreſſu cum negotiis reſectionem ac levamentum petere, querebat. Laudent admiſſionum facilitatem in ſuo Trajano veteres: Theodoſium Honoriumque clementes aditu prædicent: admi-



admirentur patientissimas Constantini aures: valentium ea gloria fuit: majus ac præstabilius est, hoc decus laudis infirmum atque jacentem merere. Nec ficta humanitas ista principis, & temporaria; vera ingenuaque fuit. Nam diuturna atque stabilia esse, simulata haud solent. Nec simplices unquam alias temere sumus homines, quam infirmi & graves: cum suæ quisque naturæ incumbit maximè, & facilè ponit personam, quam morbus detrectat. Aperta, sincera, candida Principis mens, non recondita, tecta ac fallax. Procul Tiberianæ artes, & quicquid ille pestilentiae ab Hetruria doctor, instar Circæi poculi instillatum ivit Principibus, ut extinctâ in iis humanâ naturâ lupinam vulpinamque induceret, & Palatinæ Minervæ, hoc est, generosæ prudentiæ loco, nescio quod ex fraude sævitiaeque conflatum in aulis dedicaret idolum. Est genus hominum vetus aularum ac frequens, qui honestâ specie, & falsis pignoribus fidei arrepunt principibus, ac optimum quemque, si odio habeant, & oppugnantem prava viderint, criminari in occulto soliti, mixtis nonnunquam laudibus, ut fidem inveniant, & sic infestius noceant. Aversabatur hos noster, & trans mittebat; nec pronus suspicionibus, nec credulus temerè, & magnitudine sua innisus, allata pensabat, nec admittebat, nisi probasset illorum fidem: non absolvens quenquam nec damnans, nisi auditum, & jam convictum. Insigni gravitatis exemplo, & imitando omnibus, quos in illustri potentiâ collocavit fortuna. Non cæca illa ac temeraria, quam commiscebantur pagani; sed providentiæ filia, (ut appellabat Thebanus Vades,) hoc est, dispensatio divina. Nam his perniciosissimè insidiatur hæc pestis, &, ni



præcaveant, instrumentis egregiis, præclarisque orbat  
virtutibus, quò, his remotis, prava turpiaque prævale-  
ant. Non ille virtutes suorum, non ignorabat vi-  
tia: illas fovebat ac æstimabat, & hæc ferebat, si tole-  
rabilia, & bonis mixta. Homines odit, qui vitia o-  
dit: quorum nec emendatissimi planè expertes. M.  
Porcius Cato jumenta quidem mancipiaque ætate fra-  
cta, atque sic inutilia, perinde ut calceos veteres atque  
detritos, solebat projicere: ratus, alenda non esse,  
quæ sui nullum præberent usum. Sordidum noster  
& inhumanum illud existimabat: benignus & libera-  
lis imbelli illorum ætati, quorum opera industriaque,  
vigentibus annis, usui magno sibi fuisset. Quorum  
complecti & liberos, ac vel sufficere emeritis genitori-  
bus, vel aliâ ratione eosdem curabat provehere. Nam  
apud bonos pro merito etiam est, natum à bene meri-  
tis esse. Quemadmodum autem calorem beneficum  
Solis lumē vicinioribus terris impertitur haud tantum,  
sed latè omnia circum, quâ radios suos diffundit (&  
quò non diffundit?) fidere suo fovet & recreat: sic  
Princeps noster in eos haud tantum, qui circa ipsum,  
atque à latere veluti essent, bonitatis suæ dispensavit  
munera; sed in omnes dispersit: ac si parentis omni-  
um nomen mereri non posset, ni mereretur benè de  
omnibus. Quàm ille semper de nobis sollicitus fuit?  
Quàm id perpetuò cogitavit, egit, contendit, ut tuti  
per bellum, florentes pace ageremus? Quem ordinem  
sibi non obligare beneficiis studuit? Nec conservare  
ejus statum modò, sed meliorem etiam facere? Quot  
produxit in lucem è tenebris? Quot ex non magnis ac  
mediocribus rebus ad opes provexit & abundantiam?  
Jam miseros & evolutos fortunis, temporum casi-  
bus,



bus, quàm fovit solatusque benignè est? Quàm intercessit illorum inopiæ, & vicit fortunam, erexit spem; novumque & melius circumdedit fatum? Errabat ac vagabatur infelicium turba, pars orba laribus, pars vacua spe redeundi ad sua, quorum debita, quæ belli exaggerarat immanitas, pretia ipsa transcenderant. Occurrit bonitas Principis; & ut agellos suos desertos squalentesque hæcenus repetere mallent, ut tuguriola deusta flammis hostilibus ex ipsis ruinis excitarent denudò, & vetera abolevit reliqua, & vectigalia annorum aliquot in futurum remisit, condonatoque pretio ædificandi præbuit materiam. O quanta bonitas Principis est! qui detrahit sibi, quod donet aliis: qui fiscum suum pauperat, ut paupertatem suorum levet! Hoc verè Principem agere est: hoc Patrem communem: non superbire inanibus titulis, &, quibus laudibus careas, gloriari vanissimè. Convicium fuerit, CLEMENTEM dici, qui immitis & asper: nec, nisi per contumeliam, durus ac barbarus, vocabitur BONUS. Mimica hæc sunt, quæ adulatio humilibus, aut terror miseris exprimit. CLEMENS audiat noster: talem enim experti sumus. BONUS audiat noster, quia & fuit. Hos titulos nobis, non assentatio, non metus fingit; affectus, amor, pietas subjicit, pietate & beneficiis Principis provocata. Amor enim amorem parit: & Princeps amari, ni ipse amabit, vix potest. Vellem hinc lampada, AUDITORES, tradere, & quæ sequuntur, narranda relinquere aliis. Neque enim satis in ea, aut vox, aut sermo, aut oratio durat; & spiritus ipse propemodum fugit dicentem. Dippoldiswalda municipium Misniæ, tertio supra Dresdam lapide jacet, agris, pascuis, silvis,



vis, montibus, amœnissimo loco. Hic gravem ætatem dum venationum voluptate virili, qua capiebatur maximè, per oportuno anni levare tempus insistit Princeps, langvorem illicò contrahit. Qui auctus morâ & ingravescens vix redeundi tamen voluntatem, nec nili diu obluſtato, extorsit. Delatus Dresdam vacat medentibus: nec, interquiescens, quicquam tamen magnoperè queritur. Nam nequæ cruciatu ullo affligebat corpus, & placida tantùm silentique peste depascebat luccum vigoremque ejus infirmitas. Neque enim tam morbus erat, quàm veteris ætatis, quod incumberebat, & senium grave. Quod ipsam in mentem cum nihil valeret, & intentatam relinqueret prorsus, negotia interim, & curæ regiminis publici non excludebantur. Inter hæc trahebatur tamdiu malum, quàm sustineret se: consumtis præſidiis & alimentis omnibus, sibi ipsum concessit. Quid in articulo isto faceret Princeps? Aut quò converteret se opem auxiliumque exspectans? An ad immensum illum apparatus armorum, & quam instructam habebat ingentem tormentorum vim? Atqui hæc instrumenta mortis ac fabricæ sunt; non amolimenta ac præbia, quæ arceant atque avertant. Equile Martium respiceret, & illam superbam phalerarum per plura atria dispositam pompam? Mors equidem peditemque opprimit: nec Pegasus ipse omni alarum remigio prævertat atque effugiat. Cogitaret thesauros, & nobilissimum illud Dædaleorum operum ac artificiorum horreum? Non auro gemmisque capitur mors, nec ullam ingeniorum solertiam manuumve attendit. Subigit omnia: proculcat omnia: sive in rara ac admiranda, sive in vilia ac invulgata incidat, nullo discrimi-

ne



ne tollit cuncta & rapit. In illum se toto ferebat animi impetu, in eo omnem fiducia suæ reponebat spem, qui solus, aut ingruentem mortem repellere, aut jam exceptam elidere, & mox elisam in novam lucem convertere potest. Quem cum jam ante constituisset sibi VITÆ SCOPUM, & symbolo esset testatus, nunc inter suprema ante oculos sibi proposuit maximè, in quem suspiceret, in quem dirigeret cogitationes omnes ac vota; imò quem apprehenderet, & complecteretur non avellendus. Itaque nihil in animo, nihil in ore atque sermone morituri versabatur aliud, quàm Servatoris memoria nomenque dulcissimum. Quod inclamabat, quod invocabat perpetuò, quod tanquam arcem aut clypeum apprehendebat; quod ultimum erat, in quo & vox & vita deficeret. O felicissima mors, quæ in hoc ipso obitur nomine! O beatissimus excessus, cum CHRISTO Duce transimus ad CHRISTUM! Transiit, transiit ad eum Princeps: imò secutus trahentem est; cum invocanti, adesset præsto; & confidenti in se, porrigeret manum; & apprehensum Dux ipse & via, assertorque ac vindex, deduceret. Et quò deduceret? in sedes cœlestes, in regiones beatas illas, ubi secura & jucundissima mansio: in tranquillitatē illam, quā nulla inquietat tempestas: ad fontem vitæ, qui nunquam exaret, semper abundat: in illud arcanum & inaccessum prophanis secretum, quod habitat DEUS, & implet æternitas. Heu lux, heu Pater Patriæ, quò abis! Quo nemo pietate religiosior, justitia sanctior, prudentia consultior, belli pacisque operibus major, illustrior, clarior fuit? Quem unum imprimis Principes colere, suspicere Reges, æstimare Cæsares, amare omnes & vene-



venerari, amicum, socium, patronum, custodem ac servatorem. Unde consilia dubii petere, exposcere laborantes opem, securitatem sperare sibi felices solebant. Heu fulcrum imperii ac columen! Heu libertatis asylum & arx! Tutela quietis publicæ firmissimumque vinculum pacis! Heu religionis anchora, statioque & portus in omni tempestate certissimus! Eamne calamitatem incidere nos, ut lares nostros ac focos, ut conjuges nostros ac pignora, ut fora ac tribunalia, ut ipsa templa ac aras, cum salva & integra teneamus, te uno, in tantis muneribus tuis, carere oporteat? O terra, ô mare, quod levamentum cladi nostræ, quod tanto remedium vulneri, & ubi locorum, inveniemus? Confidunt ad certos siderum ortus tempestatum furores, & verso stellarum positu post spurcos & fœdos, amoeni & placidi redeunt dies. Exspectandusne & nobis cujusdam benefici astri exortus est felix, quod rumpat hæc nubila, & dissipatis luctuum tenebris vigorem ac lumen attonitis reddat? Vos facietis, Vos ô quaternæ sidera nostra, quibus Sol ille Patriæ, Divus Pater, cum statione mortali decederet, regimen omne ac jus in ditiones, tanquam cœlum suum, transcripsit. Sacer naturæ hic numerus, quæ rerum principia in eo sacravit: Sacer Philosophiæ est; quæ fontem æternitatis atque radicem hic posuit. Sacer & patriæ in posterum erat: quippe à quo securitatem atque felicitatem suam exspectat. Conserite igitur fulgores beneficos, non bini, ut ante, sed jam quaterni Castores: & tu in primis JOHANNES GEORGI, qui sacrum hunc chorum, tanquam magister aut præsul, ducis, majus atque potentius huc consere jubar. Fovete pariter ac



ac recreate benigno vestro aspectu concussa & sauciata hoc tanto casu membra patriæ: & quas bellorum ante prostravit immanitas, colligite vires & instauratione. Vobis religio ac pietas, vobis sanctitas legum ac juris manus supplices tendunt, paremque paternæ tutelam atque præsidium non magis expetunt à vobis, quam certā fiduciā à vobis expectant. Artes etiam bonæ & Musæ omnes prosternunt se vobis, vestramque implorant opem, ne aut vilescant contemptu, aut contrahant maciem extra solatia positæ. Atrata hæc quidem & luctu sordentes ad pedes vestros nunc jacent, erectæ mox tamen, & pietate vestrâ refortæ, quas posuerunt, resument laureas, & in ornatibus pristini decora triumphaturæ velut resurgent. Id operatur assidue ut famam perennem, ut immortale nomen paternis vestrisque beneficiis circumdant. Et quosnam magni Heroës aut certiores victuræ gloriæ obfides, literis; aut veriora æternitatis instrumenta, quam decora ingenia habent? Vive JOHANNES GEORGI, Augustalis Elector; Vive AUGUSTE, Præsul inclite; Vive CHRISTIANE, & tu MAURITI: Vivite fratres Serenissimi ac Illustrissimi, florentes opibus, felices consiliis, invicti concordia! Vestrum amorem, vestram fidem, vestram concordiam, nulla aut frangat aut perimat vis, nulla corrumpat aut violet fraus, & nullus umquam dissolvat dies. Vestra concordia, nostra felicitas: vestra concordia, patriæ salus: vestra concordia, votum refugiumque bonorum omnium est. Quicquid virtutis, quicquid laudis & gloriæ in proavis vestris, ac avis; in patre & patruo, quorum geritis nomina, eminuit olim ac fuit; hoc representate seculo, hoc propagate ad posteros, majore



majores aut pares. Implete maxima nominum omnia, & reddite nobis excelsum atque invictum MAURITII animum: pietatem AUGUSTI & sapientiam: magnitudinem CHRISTIANORUM ac bonitatem, & Patris unius hæc omnia; Tuque inprimis JOHANNES GEORGII: ut non vocabulo tantum, sed universa gloria etiam PRIMO par, & ALTER potius, quàm SECUNDUS existas.

D I X I.

ORATIO SEXTA.  
 SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ,  
 DOMINÆ  
 MAGDALENÆ SIBYLLÆ,  
 BRANDENBURGICÆ,  
 DIVI  
 JOHANNIS GEORGII I.  
 ELECTORIS SAXONIÆ,  
 VIDUÆ,  
 DICTA IN TEMPLO ARCIS,  
 IPSO EXEQVIARVM DIE,  
 ANNO MD. LXX. LIX.

**S**I locus ullus superesset precibus, haberentque vota, quò caderent, id ante omnia inpræsenti optarem, ut supersedere his lacrimis penitus squa-  
 loreque nobis liceret; aut mihi perinde, ut vo-  
 bis,



bis, RECTOR MAGNIFICE, PATRESQUE  
AMPLISSIMI, TUM CÆTERI OMNIUM OR-  
DINUM AC DIGNITATUM NOBILISSIMI,  
CLARISSIMI, PRUDENTISSIMI ATQUE  
LECTISSIMI AUDITORES, sedere muto fas es-  
set, mœroremque communem religioso testari silen-  
tio. Quod si per truculentiam fati, quo facta infecta  
fieri nequeunt, sperandum alterum non sit; alterum  
verò auctoritas vestra, PATRES, qui me iussistis lo-  
qui, haud sinat; restabat precari, tanta suppeteret mihi  
ingenii vis, copiaque dicendi, quæ & æquare dolorem,  
qui passim incedit, & paria facere cum laudibus ejus  
gloriaque posset, de quâ in concione istâ dicendum  
est. Sed quæ felicitas mihi tam absolutæ eloquentiæ  
largietur vim, quæ hanc infantiam meam in consumma-  
tum dicendi habitum repente commutet? Enimverò  
hujus eximie facultatis nec mihi quicquam affuit ha-  
ctenus, & si fuisset, id delevisset senectus dudum, quæ  
deprædatur euntibus annis non florem corporis tan-  
tùm ac vim; sed animum quoque debilitat, ejusque  
solertiam vigoremque, si non exstinguit penitus, valde  
infringit. Quomodo igitur aut incrementa capiat  
res, quæ nondum cæperit? Aut primùm accipere po-  
terit quispiam hujusmodi aliquid, & absolutum statim  
accipere? In omnibus enim rudimentum spei ante est,  
quam rei experimentum: & quicquid est, ex parvis  
seminis in maturitatem suam cum tempore crescit.  
Vanum itaque fuerit, huc votis descendere, & puerili-  
ter pene optare, quæ nulla dies aut ferre potest, aut fe-  
ret. O infelices itaque cani mei, qui improbam istam  
vivacitatem huc adduxistis, ut satis haud sit, bien-  
nio ante, hoc ipso in loco tuum, DIVE JO-  
HAN-



HANNES GEORGI PRIME, defleſſe obitum; niſi jam illætabilis officii genus, nunc MAGDALENÆ tuæ SIBYLLÆ etiam, incomparabili Principi, præſtandum veniat! Quid agam nunc, aut quid non agam miſer? Quid ſileam maximè, conſuſus & obſtupeſactus luctu? Aut eloquar contra, clariffimarum virtutum admiratione inſtinctus? Qui incumbentem magni ponderis molem toto connixi contra corpore, vix eluctati tandem ſunt, nec niſi elifo robore omni, aut malè luxato, ſe emerſerunt, ſi ſuſtollendis novis ſarcinis inepti prorsus atque inutiles evadere ſolent; quid de me fiet, ſi commodavero vocem dolori communi, cùm eam jamdudum in illo funere conſuſerim omnem ac proſtigaiim? Hebet omninò ad hanc neceſſitatem pauxillum illud ingenii, quod nondum conſecit ſeneſtus; torpetque ac obſtupeſcit lingua penitus, ipſeque ſpiritus deficit, qui impleat os, ſufficiatque dicendis in præſens. Quantus enim in MAGDALENA SIBYLLA & maximarum rerum modus, & illuſtriſſimarum laudum exuberantia fuit? Sed quicquid ſit, veſtro parendum imperio, PATRES, & obeundum vel invito eſt, quod declinare non licet. Ac ſi defuerint alia, quæ imbecillitatem meam ſuſtineant, vel ipſamet magnitudo rei loco ſolatii erit. Ut excidam enim his maximè, quæ audenda nunc ſunt; recreaverit tamen, auſis haud mollibus me excidiſſe. Si agitare ſecum aliquis, qualemnam eſſe oporteat principem ſceminam, cui nihil eorum deſit, quæ aut tribuere favor Numinis, cum maxima; aut ſumma conferre virtus queat; non aliam temerè, credo, conciperet ſpeciem, atque quam hætenus in MAGDALENA SIBYLLA venerati ſumus, &  
nunc



nunc lugemus. Enituit aliqua illustri ortu ; sed obsolevit connubii imparis fœdere : & contra in aliâ splendidissimas nuptias tristis sterilitas obscuravit. Sunt quas in admiratione cœlestis forma decoraque juvenus posuit ; sed quarum animos sordidissima vitia commaculant. In Principe nostrâ tam conspiraverunt summa laudandaque omnia : ut nihil majus natalibus, nihil felicius ac fortunatius matrimonio ; nec alia temerè facies olim concinaior venustiorque videretur. Tanta præterea in eâ virtus , ut ejus implere mensuram vel consummatissimis arduum fuerit. Paternæ originis decus ex Serenissimorum Brandenburgensium Marchionum domo ; Maternam nobilitatem ex Juliensium Ducum prosapiâ traxit. Quæ magnitudo ibi atque sublimitas ? Et quantum hîc luminis splendorisque fuit ? Fuit , dico : nam in **GUILHELMO**, qui **MARIAM ELEONORAM** suam , matrem nostræ dedit , antiquissima illa stirps, & si annales veteres audimus , ab ipsâ magnitudine Romanâ descendens, exaruit atque defecit. Documento clarissimo, magna quantumlibet ruere tandem in se , atque desinere lege communi, quâ orta senescunt, & quæ ad senectutem pervenerint, desinunt. Sed florentissima Marchionum familia, quid, quò ascendat, amplius habet ? Quam & Electoralis purpura attollit adhuc supra apices alios ; & sanctitas Cæsarum eò jamdûdum evexit fastigii , quo nullum superius in rebus humanis. Quod soli fortunæ deberi , qui putet, fallitur sanè ; neque intelligit , haud cuiquam in facili contingere magna sine virtutibus maximis, quæ suâ divinitate ac vi in obsequium sibi ipsam trahunt fortunam.

Quos enumerare Heroas

1 2

hinc



hinc ortos hinc esset copia , incredibili fortitudine ac magnitudine animi, justitiâ præter hæc, prudentiâque, & cæteris artibus civilis habitus insignes ? Sed satis fuerit unum ALBERTUM commemorare, genitorem FRIDERICI ALBERTI, quo MAGDALENA SIBYLLA patre lata auspiciis felicissimis est. Hic enim ille ALBERTUS est, qui ex Teutonicorum Equitum nobilissimi, & magnis rebus gestis incliti ordinis magistro creatus Borussia Dux, & opulentissimæ provinciæ imperium Brandenburgicis ditionibus primus adjecit. Qui veritatis cœlestis lumen, depulsis perfidiæ Pontificiæ tenebris, in regionibus illis accendit primus : qui Academiam Regiomontanam instituit, & locupletatam amplissimis vœtigalibus dedicavit magnificè. Quæ tanta sunt, ut nulli subactarum gentium triumpho ac lauræ ; nullæ opulentissimorum regnorum accessiones, non gloriæ dicam ac nominis, sed plus emolumenti ac utilitatis potuissent afferre. Quid majus enim præstantiusque in rebus humanis, quam rectè sapere ? Huc officinæ studiorum nos ducunt. Et non excidere cœlo, quod vera donat religio, annon votorum nostrorum terminus ultimus est ? Magna hac incunabulorum gloriâ, hac eminentiâ natalium esto, MAGDALENA SIBYLLA, & tanto tibi gratulare magis, quantò uberius matrimonii dignitas felicitasque ortui tuo respondent. Quid tuo JOHANNI GEORGIO PRIMO aut majus tibi aucupari spes, aut excellentius potuisset præstare fortuna ? Quo nemo eorum, qui in excelso positi, aut nobilitate antiquior, ampliorque ; aut fidei, pietatis, constantiæ justitiæque, tum rerum fortiter provideque gestarum gloria, prior clariorque fuit. Quem tot  
in;



ingentium meritorum in patriam, in imperium, in universam Christianam rem collatorum tituli in illud leverunt culmen, quod pauci conscendunt. Sed quantum est nuptiarum dignitate clarescere, si defint cætera, quæ læta ac fortunata hæc scœdera faciunt, immò absolvent? Quorum adeò tibi, MAGDALENA SIBYLLA, nil defuit, ut superfuert plurimum, & sic vix habeat humana felicitas, quò tollere amplius vel beatissimos conjuges possit. Quæ animarum arctissima copula? Qui æmulus amor? Quæ reverentia mutua inter vos perpetuo fuit? Non potuit quinquaginta annorum efficit ætas, ut quicquam fribusculi intercederet, tædiusvè subiret. Quo vetustior nexus, hoc firmior sanctiorque non tantum, sed & jucundior copula erat. Ut opes viresque ab ætate haud magis, quàm dulcedinem sumeret, quod vina solent. Quod si felici liberorum propagine ipsa connubiorum consummatur felicitas, quid erat, quo vota vestra ascenderent, beatissimi conjuges, cum obtinerent jam summa? Fingunt Poëtæ Cybelen quandam felicitate uteri cœlum terramque impleisse numinibus; & ortum ex ea, quicquid Deorum Dearumque, quâ patet orbis, coleretur. Si vera fabulis conferre fas est, te alteram Cybelen, te matrem magnam, MAGDALENA SIBYLLA, venturæ celebrabunt ætates, cum te tot Deos Deasque hoc est, Heroas ac Heroinas dedisse noscent, quot liberos dederis, & in illorum progenie orbi impertiisse tantam clarissimorum Principum, tot populis gentibusque daturam Dominos turbam. In grandiore ætate formam velle laudare ineptum quodammodo sit. Hæc enim juventutis illorumque annorum dos propria est, qui crescunt adhuc, & lætum benignumque



succum in membra dispensant. Qui vergunt & pro-  
cidunt decorem corporis, trahunt unà secumque abri-  
piunt: ac quicquid in ore, in oculis, in cætero cor-  
pore suavissimâ hætenus radiaverat luce, perimunt  
firmè ac tollunt. Silendum tamen in nostrâ haud est,  
hanc partem laudis, præter morem tot annis, quos  
habuit, vix jam libatam, nedum extinctam fuisse atque  
deletam. Gravis rectusque incessus, nihil adducta  
in tristitiam frons, plenum modestumque oculorum  
lumen, intemerata oris honestas, loquebantur adhuc  
juventæ bona, & quantam augustis thalamis olim  
Principem intulisset. Scilicet architectatrix natura,  
cum fingeret primùm texeretque, ita compegerat par-  
tes, & solidatis undiquaque eum honorem afflaverat,  
ut in novissimam valetudinem viridis nihil haberet, de  
senectute quod quereretur. Non sine luculento pig-  
nore, ingentes naturas de cœlo trahere plurimum eam-  
que ob rem, ad instar illius, florere diutius ac incor-  
ruptius durare: cùm, quæ terreni plus præferunt, ad  
præpollentis materiæ indolem, & vices capiant citius,  
& destruantur facilius. Qui ædes magnificas ingres-  
si fuerint, non in illarum specie tantum & eleganti  
membrorum commensu ornatuque hæreere stupere-  
que solent; sed de illarum domino quoque ac pos-  
sessore solliciti sunt, & venerari optant coràm,  
cujus sublimitatem ac excellentiam de splendi-  
dissimâ venustate structuræ præsumserant. Pe-  
rinde mihi contemplato hætenus superficiem  
Principis, & quicquid in eâ factorum dono  
eminuit extra, ac fulsit circum; curæ nunc  
erit, qui habitaverit intus animus, & hanc pulcher-  
rimam agitaverit molem, inquirere simul & ad-  
mirari.



mirari. Ego verò ita existimaverim omnem animorum vim, auctoritatemque ac pulchritudinem à virtutibus manare. Ut quò earum in quòque plures exstiterint, eò illustrior ipse diviniórque haberi debeat. Sed quod in navi gubernator est, dux in exercitu, in corpore anima; id in virtutibus pietas est. Quæ nisi regit, ac ducit, & animat veluti cæteras, errare, labi, jacere, quicquid earum affuerit, oportet. Quod si jam planè aberit pietas, aut nullæ omninò virtutes aderunt, aut simulacra quædam atque imagines in somniorum morem inani specie illudent. Simul formosum os Luna protulit cælo, simul stellarum ingens chorus incedit unà: similiter pietatem comitatus virtutum splendidissimus sequitur, & ministerii instar præsto est Dominae atque perpetuò hæret. Quare quò major in Principe nostrâ & abundantior pietas fuit, eò uberius circa ipsam virtutum omnium splenduit jubar. Rectè verèque sentire de Deo; perinde eundem colere, artes præcipuè fuerunt, quas imbibit tenera, & post adulta firmaque exercuit semper. Videbat diverticula ac flexus; sed ipsa tenebat iter rectum, quod institerat semel, & nusquam à militari se viâ patiebatur abduci. In aliter sentientes non intonabat conviciis, miserabatur potius: & quos dolebat errare, reduci in viam, subinde optabat. In cultu divino simplicitatem magis decòram, quam apparatus nimios compositasque in speciem pompas solebat probare. Namque ut DEUM mentem purissimam noverat, ita eundem puritate animi coli quam optimè, existimabat: eaque propter in eo semper dedita fuit. Quâ devotione adibat templa & publicis sacris intererat? Quam curam, quod studium solebat afferre ad auscultandos sermones, qui habeban-



tur ibi de suggestu sacri? Quo desiderio, quâ destinatione revertebatur, factis exprimere gestiens præcepta pulcherrima quæ audiisset? Jam domi & in cubiculo orare, psallere, evolvere oracula cœlestia, non vacui temporis habebat solatia, & quasdam remissiones veluti, sed verissimi operis descriptas partes: quibus nisi feriò daret animum, medullitusque, ut Ennianâ voce utar, impenderet se, nihil egisse arbitrabatur. Et dubitabimus suppliciiis istis ac precibus, & multum averruncatum malorum à nostris cervicibus, & plurimum contra bonorum, quibus fruimur, procuratum fuisse? Gaudet, gaudet his artibus vinci ac expugnari cœleste numen, eoque redigi, ut amet annuere deliberantibus vera consilia; sumentibusque eorum periculum adesse benevole; ne quæ consulta pulchrè fuerint, turpiter exeant; sed rationes optimas eventus melior consequatur. Non rarò maximis fœminis fastigii sui conscientia, & recordatio nimia summæ fortunæ verba dedit; eoque ambitione semel corruptum impulit animum, ut partes virorum invaderent, & ad injuriam interpretarentur, si non & ipsæ regnarent junctæ regnantibus. Aliam sectam ac rationem illa compositissimi animi moderatio injunxit nostræ: quæ cum se Principem non ignoraret, fœminam tamen, atque sub Principe esse, adeò usque oblivisci haud potuit, ut in excello posita privatæ similior videretur. Non irrupit in curiam, non sese ingessit viri consiliis; & multò minùs statuendi de rebus sibi sumsit arbitrium, quam intra gynecæi sui penetralia & sexus pudor, & quies animi continebant. Huic tantæ modestiæ par respondebat magnitudo animi: ut quàm aversa ambitionis intra mensuram sexus sui se cohibuisset, tam rursus



rursus eundem transiret constantiâ. Ingruerat nobis belli gravissimi moles ambigua: eoqve res nostræ adductæ erant, ut propius abesse à tempore ultimo viderentur. In tantâ tempestate tot circumcirca cadentium fulminum, quis eâ firmitate animi erat, ut non pavesceret, aut trepidaret saltim anxietate futurorum eventuum? Quid, nostra? non concidebat animo muliebriter, lamentsque ac questibus incendebat omnia; vel parum decoris abdebat se latebris metu amens: stabat obverso in fortunam vultu altitudine suâ innitens, & freta pietatis armis permittebat se DEO: hinc venerata providentiam moderantis omnia; hinc bonitatem clementiamqve nihil non indulgentis adorans. Quid, inquit, bat, divino reluctet ordini? Quid jactem jugum, quod patienter ferendo levius faciam? Melius fata communia tolerando vincam: quæ nisi parvero, gravius prement. Qui modò iratus aversusqve videtur, mox placidus pacatusqve aderit. Qui castigavit, solabitur rursus, ut in utroqve se patrem ostendet. Nam tristiores parentes liberis sunt, quos fidelius amant. Quis fortiora à viro exspectet, aut meliora à Christiano? Liviam Augusti legimus hæsisse perpetuò viri lateri, & indivulsam secutam comitem, quocunqve iret. An ejus amore ac studio, & quod se bonæ conjugis titulum tueri haud crederet, si pateretur separari ab eo, cui in omne fortunæ vitæq; consortium deducta esset? An, æmulatione preposterâ, & insidiosâ curâ servandi; quia non ignorabat errores viri; & quàm non durus amator esset, ipsa met sibi locupletissima testis erat? Agrippina quoque, Germanici uxor, præclara in eum amoris ac fidei, comitata maritum in provincias non separanda castro-



rum socia fuit; sed non nolente viro, & tum solenni Romanis matronis consuetudine, ingens animi discriminumque contemtrix, & eò obfirmata usque, ut ducis induere mania aliquando auderet. Nostra, profecto in exercitum conjuge, & peregrè fulminante armis, semper restitit domi: non quod non gravaretur desideratissimis carere obtutibus; sed ne corrumperet pudoris modestiæque propositum: inprimis verò ne non pareret abeuntis præceptis: quorum religionem sanctiorem habebat, quàm desideria sua ut vellet præferre. Videbat quantis rationibus consilium viri inniteretur, & quas respiceret causas, cum domi mallet manere. Nam quid imbellem & delicatum sexum castrensi duritiei impingeret? Quid officiorum confunderet fines, imposeretque sceminæ, quibus nec viri semper sufficiant? Multa in castris per militarem designari licentiam, quæ verecundioris cujusque pudor ferre haud possit. Inesse præterea mulierum comitatu, quæ frangant animos, & ausis fortibus abstrahant, & bellum formidine morentur. Non eadem decere matronas principes, quæ in gregali mulierum vulgò ipsa conditionis fors honesta facit. Quarum necessitatibus, vix nisi virorum contubernio consuli potest. Manebat itaque domi, sed corpore; animo ac faustis omnibus perpetuò sequebatur, & jugi orationum sacrificio salutem viri, legionum fidem invictum armorum robur DEO immortalis commendabat. Hæc solitudinis suæ solatia pariter negotiaque habebat. Quibus quanto vacare liberius & efficacius intra secreta domestici laris poterat, quam foris inter tympanorum tubarumque clangores, & militum strepitus, & nunquam silentium castrorum officiosos tumultus?



tus? Quid habent hinc Agrippinæ, quid Livinæ, quò se præ nostrâ jaçantius efferant? Majoris constantiæ est, sine viro durare, quàm desiderio imparem, comitari in castra. Amare ac colere absentes etiam, & sanctius licet. Propria hominis virtus humanitas est: quàm qui excludunt principes à communi naturâ abeunt, & divinitatem in eo nequicquam affectant. Nam si humanitas nihil aliud est, quàm benignus benivolusque in omnes affectus: quid in cœlesti illo ac summo numine magis exuberat? Quod nulli non patet: nullius non admittit & audit preces: nulli non opem atque auxilium præstat: quod æquè omnibus providet, ex æquo omnes ad delicias amat. Quare quo humaniores principes sunt, hoc propius ad bonitatem accedunt numinis, & abundantius similitudinem ejus exprimunt, cujus in terris vices sustinent. Mirum in modum hac etiam laude nostra excelluit Princeps: cujus humanitate nihil proximius, nihil comitate simplicius, nihil facilitate magis remotum à blandiendi artibus fuit. Quàm adituris patebat ultrò? Quàm hos benignè excipiebat? Quàm suavitate, quibusque leporibus ad sermonis invitabat commercia, & pari jucunditate detinebat? Ac inter hæc omnia, quàm nihil in vultu severum ac triste? Quàm in oratione ac gestu nihil superbum ac arrogans, aut arte quæsitum? Contemnere, rejicere, aut fastidire impares, vixque dignatos verbis paucissimis dimittere, non magnitudinis, sed fastus atque superbiæ statuebat, quæ perpetuos comites odium, atque invidiam trahunt, periculosos principatuum assecclas, quos amor ac benevolentia tutissimos facit. Quàm se amabilem his moribus, tam venerabilem juxta iisdem præstabat. Quantum enim facilitatis



litatis inerat, tantundem & inerat gravitatis: quæ reverentiam parit: nam illa amorem conciliat. O temperamentum pulcherrimum, & unum omnium efficacissimum ad comparandam auctoritatem pariter & conservandam! Nam quod facilitas præstruit, illud solidat atque emunit, ne diffluat, gravitas: & ita fit, ut amplum illud atque augustum opinionis in mentibus hominum exsurgat tandem ac efflorescat. Supra perstrinximus quam magnitudinem animi ostenderit nostra, cum increbuisse bellorum procellæ: nunc recurrendum eodem denuo est; quamquam per saltus pluribusque præteritis; & attingendum, quam æquè constanter ac sapienter se gesserit incomparabili conjugē erepto terris, ut cœlum suum subiret. Mollis naturâ mulierum animus, & parum plerumque firmus, cum ad sustinenda læta, ac prospera, tum toleranda tristitia atque adversa. Nam in utramque nimis partem modum vix servant, & cum excedere ceperint serior, ad mediocritatis mensuram reduci haud facile patiuntur. Cæterum quos amaverunt, cum fruerentur, vehementius; hos impotentius fermè desiderant, ac insolabiliter amissos lugent. Non hic fomentis temere, non advocatōibus locus est. Incumbunt orbitati suæ, rimatæque assidue vulnus, ac refrigerantes veluti, nullum dolendi gemendi que faciunt finem. Altioris indolis virtutis que nostra in Viri funere exemplum dedit. Non exuebat maritalem affectum, sed cohibebat intra terminos, nec evagari ulterius sinebat, quam ratio præscriberet. Nihil non pietatis in deponendum contulit, & in depositum nihil honoris omisit. Cum interim tamen doleret haud plus, quam aut honestum Principi esset, aut æquum tot maximorum Prin-



Principum matri. Quare quod aliæ tempus inanibus lacrimis, & nihil profuturis quæstibus donant, abditæ tenebris & omnem propemodum exosæ lucem; id viri memoriæ, id admirationi virtutum ejus, id maximorum meritorum deprædicationi tribuebat: verissima inde solatia petens, unde mæroris ac ægrimonix causas aliæ ducunt. Et quid iniquius ferret Conjugis fatum, quæ circa se quæ aspiciebat charissima pignora, tot levamenta casus reperiebat? Videbat JOHANNEM GEORGIUM SECUNDUM suum, fastigium idem tenere, in quo tot annos eminuisset pater, virtutum ingentium, & optimi principatus exemplum edens, quod nunc non æmularetur magis filius, quàm laudabiliter exprimeret. Videbat AUGUSTUM suum, in culmine positum proximo, decorum haud tantum avitis titulis, sed sacris infulis etiam venerabilem. Videbat CHRISTIANUM atque MAURITIUM, quantos Principes? Quam viva spirantia quæ patriarum virtutum simulacra atque imagines! Et nondum commemoravi illustrissima Natarum lumina, SOPHIAM ELEONORAM Hassiacam: MARIAM ELISABETAM Holsaticam: MAGDALENAM SIBYLLAM Danicam ante sed nunc Saxonicam: nondum ex his & illis nepotum pronepotum quæ tam numerosam, & pene populi instar habentem catervam. Tot salvis suis contumelia prope videbatur, si pro desertâ & orbâ in clade unius se gereret. Ut nihil incorruptius Principe nostrâ & sanctius, cum adhuc viro juncta ageret, fuit; sic vacua matrimonio, & in viduitatem data idem propositum tenuit, paullo severius tamen atque adstrictius, senem, & viduam se recognoscens; quarum pudorem

ac



ac famam non nisi seria graviorque tueri possunt. Ju-  
venculas enim amœna ac lata non indecent. Qua-  
dratilla sceminarum longè in Romanis Princeps fuit.  
Hæc viro orbata, & octogenariæ propior, ævum tam  
grande, & vidui thalami otium sic collocasse noscitur,  
ut lascivisse puellariter, oblita nimium sui, non gravi-  
tatem senilem custodisse, videatur. Ludebat calcu-  
lis, frequentabat cœtus, adibat spectacula, quæ vel  
theatrum publicum ipsi, vel domus sua præbebat. Ha-  
bebat enim artifices, & pantomimos, fovebatque effu-  
sius, ut tum prudentes censebant; quàm ejus deceret  
personam. Et quidnam illi non faciebant, ut adulan-  
di officiis patronæ arreperent, & voluptatem aliquam  
studio suo procuderent? Curstabant, exultabant,  
plaudabant, mirabantur: singulos denique gestus  
dominæ reddebant cum canticis. Scenam putasses,  
aut nuptialem, non senis viduæ fuisse domum. Quam  
nihil horum circa nonstram erat videre? Quam con-  
tra ea modesta omnia adstricta quæ ac sancta? Non sce-  
næ usquam ac pulpita: non choriarum obrepebant  
pompe: non acroamata alia audisses, quam quæ in le-  
ctionibus sacris, & personandis divinis laudibus occu-  
parentur. His oblectationibus mulcebat ætatem;  
his meditamentis viduitatem suam exercebat. Non  
quia per sinisteritatem naturæ aversaretur amœna vi-  
tæ ac lævia; (quod asperi ac truculenti ingenii homi-  
nes solent;) sed quòd propositum tale atque silentium  
illi imprimis statuebat congruere, cui & senilis ætatis  
gravitas, & tori vidui sanctitas custodienda. Solent  
nonnunquam, qui grandiore natu sunt, hanc trahere la-  
bem, ut parci immodicè, & plus quàm par est, augendis  
rebus intenti, seipsos affligant, ac fini quò propiores fue-  
rint,



rint, hoc vitæ magis, ineptâ solitudine, laborent prospicere. Nostra quàm à luxuriâ temper abfuit, tam avaritiâ quoque mansit intacta. Illudere opibus & patrimonii vires in vana ac ludicra visendave tantum prodigere, non prærogativâ fortunæ summæ; & laborare de cumulanda pecuniâ sordidè, humillimi cujusque existimabat. Quo conseqvebatur, ut nec egeret fiscus, & vacuo atque exhausto ne succurrendum parum decoris artibus esset, cui perennitas sua innocentia redituum, & prudentiâ sumtuum optimè constaret. Liberalitatem sic exercebat, ut nepotari ne permetteret. Donabat, largiebatur; sed cum judicio: subinde respiciens, & quid & quantum, & cui daret. Miseris verò, & quos fortunæ iniquitas nudos vagosque & exules fecerat, aut videbatur fecisse, nunquam non porrigebat manum: rata in talibus, *non intellectu*, quod ille ait, *sed eleemosyna opus esse*, quæ omnibus debet pateri. Quicquid dabat, id dabat libenter ac promptè: non superbè ac gemens, & ut objiceret aut imputaret: cum nihil aliud quam bonitatem animi, honestique amorem sequeretur, & æmularetur illum adeò, cui vicariam operam principes præstant, qui omnia omnibus dat, non quòd merentur omnes, sed quòd indigent. Non pauca dixi hætenus, plurima tamen præterii. Et quis sufficeret omnibus, quæ poterant dici? Cum colligo interim atque consummo, quæ memorata hætenus sunt, mecumque admiror reputans, non possum non profiteri Príncipe nostrâ, tot inclitâ laudibus tot adornatâ, virtutibus maximis, nihil illustrius ac excellentius; quin nihil perfectius, ut inter homines, ac absolutius existisse: & itaque dignam, quæ nunquam deficeret: ne instar tantum atque



atque exemplum unquam deficeret principes foeminas, ad quod se forment & exigant, si vivere velint cum laude, & gloriosè tenere culmen, in quo fortuna ipsas constituit. Sed ô conditionem rerum fluxam atque instabilem! O circumscriptam naturam hominum, quæ magnum atque eximium aliquid potest producere æternum ac immortale idem præstare non potest! Inclusa omnia nascendi ac pereundi vicibus sunt: & unum illud certum atque immotum est, nil certum esse. Quicquid infra supraque aspiciamus, hanc legem patitur, nihil exceptum exemptumque est. Omnibus una incumbit necessitas, & rapit omnia. Ut steterit diu aliquis, decidit tamen, & solvitur tandem, ac redit in terram, unde coaluit. Hoc receptaculum illud commune est, quod accipit omnes, & pares facit omnes; ut ut hos ante fortuna virtusve distinxerit. Haftenus magni ac humiles, dites & pauperes. Stulti ac sapientes dicimur: huc ubi ventum, cessant ista discrimina, & discimus seriò omnes ex æquo nos homines esse, hoc est, mortales. Quid inter hominem tum & hominem interest? Nihil omninò: nisi quod aliorum actus præclaros fama ac gloria, hoc est, alia vita sequitur; silentia aliorum aut turpitudines, vel eadem condit obscuritas, vel idem dedecus atque infamia, quæ ante flagrauerant, manet. Recordabatur hæc nostra assidue, sed reputabat unà, haud totum finiri, cum obit, hominem: alteram tantum & viliores partem resolvi in cineres, sed revicturos olim, & coituros rursus in id, quod fuerant ante: diviniorem expertem funeris agere, & simul soluta custodia corporis fuerit, evolare in cælum, & reddi origini, non avellendam à DEO, ex quo duxit natales, ac securam olim decre-



decretorio die redinstituatam, compagem corporis unitamque animæ indissolubili vinculo in nunquam finienda gaudia perpetuò duraturam. Hæc agitans secum atque subinde repetens, nec unquam ante extimuit mortem, & obrepentem jam, vix intellectam, promte constanterque excepit. An enim timeret, quæ mortem, non finem vitæ, sed immortalitatis felicitatisque perpetuæ januam esse ac aditum planè erat persuasa? Quare nihil lamentis, nihil ignavis questibus dabat tripudiabat & exultabat potius, atque jam præsumebat quodammodo, & auspicabatur præludens, quod operatura in ævum omne esset, si locus ullus ævo est, ubi æternitas est? Quid agunt felices illæ ac cælo receptæ animæ? Laudant DEUM, psallunt DEO: & in his ipsis satagebat Princeps, diggressura jam terris. Nam dum sub ictu ultimo vita staret, exorsa subito regium carmen LAUDA, inquit, ANIMA MEA DOMINUM: LAUDABO DOMINUM IN VITA MEA: PSALLAM DEO MEO QUAMDIU ERO. Egonè putaverim Principem, cum hæc inferret, teneri adhuc se credidisse corporeis vinculis? Imò in jucundissimâ imagine extra se rapta, aut velut amæno somnio lusa, persuaserat sibi, esse jam ibi, quò transitura brevi seriò esset; & inenarrabiles Musarum cœlestium audire cantus. Earum itaque æmulatione quasi accensa, LAUDA, inquit, ANIMA MEA DOMINUM. Non dicit, OS MEUM LAUDA DOMINUM; nam excessisse corpus rata, quid jam ab eo posceret vocem, quod spiritu omni defectum esset? Animam igitur appellat: qua unâ sese jam metiebatur. Quare quas imposuerat animæ modò, hanc sibi mox ipsi transferibit partes, LAUDA-

K

BO



BO DOMINVM , atque IN VITA MEA ait.  
 Quid hoc est , SERENISSIMA PRINCEPS ? An  
 alienam igitur hætenus vixisti vitam , eaque dimissâ ,  
 nunc tuam demum propriamque te vivere putas ? I-  
 mò verò tuam ac propriam : neque enim nostrum est ,  
 transire quod potest : commodatum aut mutuati-  
 um est ; hoc nostrum ex verò , hoc proprium ; cuius  
 plena perpetuaque possessio manet , & extra omnem  
 amittendi formidinem positum est. Ecquis putabit  
 verè vitam , in mortem quæ potest definere ? LAV-  
 DABIS itaque DOMINVM TVVM , & LAV-  
 DAS nunc plenè , IN VITA TVA : non illâ caducâ  
 atque mortali , quæ falsò vita , falsò nostra , dicitur : sed  
 verâ illâ & inocciduâ , & cui nullum unquam cum mor-  
 te commercium venit. PSALLAM inquis , DEO  
 MEO QVAMDIV ERO. Quid , quæso , est DIV  
 ESSE ? Semper esse ? Nam istud diu quid est , in quo  
 extremum aliquid est ? Vt centum aut plures annos  
 quis duret , multis annis fuit , non diu fuit. Illud reve-  
 rà DIV EST , quod dies omnes pervadit , quod vincit  
 tempora , & extra omnes terminos positum , metam  
 non habet. Neque ex verò EST , nisi quod semper  
 est , & cadere atque finire , haud cupit. PSALLAM  
 DEO MEO QVAMDIV ERO. Hoc poteras di-  
 cere , cum in extremâ velut tegulâ stares ; hoc est , de  
 luce cùm decedendum , & jam eundum , in cineres  
 esset ? Quin hoc dicebas , cùm defuncta tibi videbaris  
 eo , quod imminabat ; & jam translata , *ubi latitia in*  
*vultu DEI , & delectationes in dexterâ DEI usq; in finem.*  
 O felix abitus qui inter laudandum DEVM , inter psal-  
 lendum DEO contingit : imò cum usurpare contingit ,  
 in quæ eximus , antequam exeamus , & commutemus  
 statio-



stationem mortalem! Morari in terris adhuc, & tamen esse in cœlo! Desivisse nondum hominem, & Angelorum officiis fungi! O faustum felicemque abitum? O beatissimam lætissimamque solutionem! Vides, vides, MAGDALENA SIBYLLA, DEUM tuum de facie ad faciem! Complexa dexteram ejus, iis ex omni parte abundas gaudiis, quæ nec mortalis unquam vidit oculus, neque audivit auris, & in cor hominis non ascenderunt, & illis tantum præparavit DEUS, qui ipsum dilexerint. Laudabis DEUM; psalles DEO, quamdiu vives, quamdiu eris: at nunquam non vives, nunquam non eris, unita DEO, qui vita ipsa & ipsa æternitas. Quid faciam AUDITORES, an ego detester \* Februarias Eidus, quæ abstulerunt matrem \* Næ patriæ, quæ nobis eripuerunt Principem nostram? *prid. Eid. Febr. A. cl. 9.* Quod sexus sui fortunæque exemplum? Quod ornamentum seculi? Quod Patriæ lumen? An venerabor *LIX. mor- tua est.* potius, & ante ipsas propemodum \* Kalendas Januarias ponam? Hæ quidem ediderunt ipsam terris; sed illæ cœlo reddiderunt, unde orta erat. Hæ auspiciatæ ejus humanitatem sunt; at illæ divinitati suæ transcripserunt. Non fortè ac temerario casu aut nascuntur magni Principes, aut obeunt. A DEO in terras com- *\* Nam prid. Kal. Jan. An. cl. 9. 86.* modati veniunt, & revocati ad DEUM redeunt, non ante tamen, quàm cum descripta curricula absolverint, & destinationis divinæ numeros jam adimplerint. U- *nata est.* trobique igitur adoranda dispositio Numinis & providentia est: atque ut gratulamur & triumphamus meritò, cum hæc benignitatis divinæ accipimus munera; sic cum reddenda eadem, oportet agere gratias, tum quod concessit semel, tum quod tamdiu indulxit. Ite igitur AUDITO-  
K 2 RES,



RES, & ita approbate pietatem vestram Principi, ne  
 aliquà apud DEUM fiat rei: cui parere & obsequi  
 summa religio est. Ite, inquam, & quam luxistis ha-  
 ctenus, veneramini deinceps: operam quisque dantes  
 pro se, ut meritorum illius, quæ summa ac immor-  
 talia sunt, memoriâque & gloriâ seculis  
 nullis intercidat.

D I X I.



ORATIO SEPTIMA,

AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM

AC DOMINUM,

DOMINUM JOHANNEM  
 GEORGIUM II.

CUM PARENTEM SERENISSIMUM  
 LUGERET, AC NOVUM PRINCI-  
 PATUM AUSPICARETUR.

A. c. l. d. l. c. LVI.

SERENISSIME PRINCEPS

ELECTOR,

CLEMENTISSIME

DOMINE,

**N**emo nostrum, quàm latè Saxones tui ac  
 Myfi, & cæteræ TIBI subiectæ gentes co-  
 lunt, tam fortunatus ac felix, tam consistans  
 etiam aut durus, vel secors denique. adeo  
 est,



est, qui super INCOMPARABILIS PARENTIS  
TUI, Principis maximi, exitu non acerbissime doleat:  
nec quisquam rursus tam gravi mœrore dejectus ad  
terram insolabiliter luget, qui non in tuæ successionis  
omine erigat se, & spe uberrimâ hunc casum infelici-  
simum levet. Quicquid in Patre amisimus nuper, &  
nunc legemus ereptum, id omne recipiendum in TE,  
non tam promittis nobis, DOMINE, quàm exhibes  
statim, imago paternarum virtutum absolutissima. Ne-  
que enim possessionem illarum auspicaris nunc de-  
mum, ut cæterorum bonorum summæ fortunæ; existi-  
stisti jam antè, idque ex assè & solido, hæres, quippe  
quasi ipso cum sanguine statim transfudit PATER in  
TE, & mox exemplo prolicuit, atque in justum habi-  
tum finxit, promovit, roboravit. Illa acerrima indo-  
les, illa divina & nunquam fallens memoria, illa judicii  
incredibilis vis ac libratissima ratio, æquè in TE, & ad-  
miraculum, eminet; quæque Heroum laus propria  
est, & itaque PATRIS etiam fuit, usque adeò TIBI  
magnitudo animi non deest, ut inter cæteras tuas dotes  
vel splendidissimè emicet ac gliscat. Tuendæ religio-  
nis, custodiendæ æquitatis, servandæ quietis ac securi-  
tatis publicæ inæstimabilis cura perpetuaque in PA-  
TRE fuit. Non provocabat bella, non timebat:  
cumque inciderent, & fortiter, & ita gerebat, ut nun-  
quam non pacem, vel inter concitatissimas præliorum  
procellas, respiceret. Quæ ubi non causæ bellicorum  
ac finis ponitur, ambitionis, furoris, impietatis  
instrumenta arma evadunt. Quàm intumescere  
vitiis, tam idem favere solebat virtutibus; cum-  
que ad omnia, quæ malè fiebant ac perperam,  
haud conniveret temere; non tamen severitatem



omnibus; quibusdam & lenitatem commodabat; nec vindicandi nimius, & veniæ promptus, quæ emendandi fiduciam daret. Quas maximas res, ut nondum expresseris quàm illustrissimè hæcenus; sic adumbrasti tamen, ut nihil ad summam, quàm ultima manus, videatur restare. Neque enim non expressisti, quòd causæ deficerent; sed quia materia atque occasio deerat, nondum producto in illud theatrum, ubi MAXIMI PATRIS suscipere debebas & repræsentare personam. Scio gravari moderationem ac verecundiam tuam, PISSIME PRINCIPUM, cùm prædico talia, similitudinem parentis maximi ostendens in TE; & nondum de canâ illâ totque annorum experimentis munitâ ex omni parte prudentiâ PATRIS; nondum de summâ illâ ac singulari auctoritate, quam ei hinc capitis honor & sacrosancta illa canities, hinc meritorum, quæ nemo unquam capiet satis, excellentia, partaque tot gestis maximis rebus inusitata gloria circumdederat, commemoravi. Quem principalis laudis apicem si nondum tenes, tenenti tamen quam proximus es? mox enisurus in summum illud, quod longè late quæ TE Principem maximum ostendet terris. Id agis ætatis, cùm valet animus maximè, & sibi constat, & inter juvenutis ætus ac senectutis frigora medius, beneque compositus, & providet optimè, & saluberrimè cavet. Tot visa tibi; totque audita hæcenus, quas induerunt disciplinas tuæ per se solertissimæ ac sapientissimæ menti? Quanta TE longum illud ac diuturnum contubernium PATRIS docuit? Quam abundantissimè in casus omnes ac rationes consilia tua idem instruxit? Si documenta nulla haberes abs TE, haberes PATRIS: quamquam, quæ PATRIS fuerunt, &  
TUA



TUA dixerim: quæ observando ac seponendo fecisti  
TUA, perpetuus consiliorum & actuum PATRIS  
adjutor aut testis. Quæ omnia ut intra limen ac ve-  
lum quasi suam hæcenus continuerint vim; sic tegi  
tamen haud potuerunt, ut non errumperent in famam,  
& quam opinionem TIBI, quam reverentiam, quæ  
regum principumque maximorum contraherent stu-  
dia? Habet hoc proprium fortuna magna, latere non  
potest. Multa perpetuò ipsam ambit lux, quæ nihil  
in ea obscurum patitur ac tectum: erumpunt omnia,  
advertunt omnes: simulque in admirationem rapiunt  
animos, & veneratione eosdem implent. Jam ado-  
lescens filius, tantæ indolis, tanti ingenii, tantorum  
sensuum in hac non magnâ ætate Princeps, quod ad  
auctoritatem robur, quod pondus addit? Non legio-  
nes ac opes, & his similia alia verendos tantum ac  
magnos principes faciunt; liberi etiam præstant:  
tutissimaque majestas principis est hære de suo innixi.  
Neque enim contemnitur facilè, qui successorem sibi  
vindictamque ostendat. Dum loquar ista, dum  
locuturus plura sum, obruor illicò lacrimis. Quæ  
corriventur in unum licet, diversis tamen fontibus  
manant. Alias Parentis erepti dolor, alias gratu-  
lationis exprimit impetus, quæ FILIO debetur.  
Nimirum & læta suas lacrimas habent, cum ve-  
hementius incumbunt, & ardens affectu ani-  
mus, ac sibi cedens, in oculorum hos imbres  
velat liquefcit. Quid faciam in istâ dissidentium  
affectuum pugnâ? Bene habet: temperamen-  
tum inveniam. Cum revocare adempta bona  
humanæ opis non sit; prudentis de cætero inji-  
cere manum præsentibus; partitis pietatis offi-



ciis, hinc religiosè ac sanctè venerabor semper ac colam Divini PARENTIS memoriam; hinc FILII maximi sequar auspicia, & adoraturus nunc primum, ex longinquo licebit, illius fasces vacabo faustis ominibus ac votis: precatus à DEO, & quæ me decet optare, & ferre illum, salus imperii est. Salve igitur, JOHANNES GEORGI SECUNDE! Salve inquam, & VIVE OPTIME PRINCIPUM! Salve idem & MAXIME; Salve idem & PATRIÆ PATER! Neque enim non nunc accipies quoque hoc nomen. Fuisti, antequam fieres. Fuisti in votis, fuisti in animis nostris atque judiciis; imò in tuo etiam animo: nam quos fortuna natalium cives dederat; hos TIBI affectus liberos reddit. Quicquid felices nos facere potest, tecum est: quid restat felices ut simus? VELLE. Voles autem, quia OPTIMVS. Voles autem, quia MAXIMVS & votes. Voles autem, quia ut PATER tuos amas. Nemo bonus non curat tueturque, quod suum est: Pastor gregem: Pater familiam domum; quare & subditos suos PRINCEPS BONVS. Facies DOMINE, & semper facies. Semper enim magni & graves animi tibi incumbunt. Salve iterum, & dura longissimè, DECVS PRINCIPVM! Nobis ac Patriæ, fortunatissimo Imperio; fama & gloria rerum gestarum, TIBI IPSE superstes! Quem adolescentem filium vides, hunc juvenem olim, hunc Virum videas, grandævus ipse; sed fortis ac hilaris: nec minor hic annis succedat TIBI, quàm TU imperium PATRIS excipis. Quem TE exhibuisti piissimo PATRI, ipse piissimus FILIVS, eum se ILLE TIBI perpetuò probet.



bet. Hic impleat regulam, cuius dedisti exemplum ingens. Princeps eras; & pene agebas privatus: in summa potentiâ natus educusque eras, nec usurpabas: imperii capax non affectabas imperium. Quem Patrem amando, parendo dominum demonstrabas. Tribuat, tribuat DEUS pietati tuæ dignam vicem: reddatque abundè in liberis, quod PATRI FILIUS, sine exemplo dedisti. Benè imperabit, qui paruit bene; optimè reget, qui diu paruit: dignus imperio omnium est, qui sui ipsius Dominus potuit esse. Summe, æterne, immortalis Deus, qui tenes imperio omnia, sapientiâ regis, impleas ac sustines Numine, audi hæc vota, audi hæc desideria nostra; audi, inquam, & perfice bonus, quæ nunc precamur & semper deinceps precabimur. Tuere PRINCIPEM nostrum, ut consulat nobis: tuere DOMINUM nostrum, ut protegat nos: tuere comunem omnium PATREM, ut foveat omnes. Tu rege consilia ejus, ut nunquam aberrant: tu actionibus ejus interveni, ut felicissimè semper exeant: tu ipsos successus confirma, auge, provehe, ut læta prosperaque eorum certa, stabilia, perpetua sint, neque nos recreent tantum, sed natos etiam nostros, & omnem illorum posteritatem exhilarent, beent. PIUS imperet! JUSTUS imperet! FELIX imperet! Et dum hoc præstat, nos ipsos pios, nos ipsos justos, nos ipsos felices efficiat. Beatum Principem  
his subditis! Beatos subditos  
Principe tali!

D I X I.

K 5

ORA.





## ORATIO OCTAVA,

AD

EUNDEM SERENISSIMUM

ELECTOREM,

CUM A COMITIIS RATISBONENSI-  
BUS FELICITER DOMUM  
REDIISSET.

**T**enemus itaque vota nostra, SERENISSI-  
ME ELECTOR: tenemus vota nostra,  
quia tenemus iterum Te, pro quo solliciti  
hactenus votis nostris ac precibus dies no-  
ctesque æternum vatigavimus Numen. Quid preca-  
remur à DEO immortalipotius, quam incolumitatem  
absentis Principis? Quam benè prospereque ut cede-  
rent omnia, quorum causâ abesset? Quam ut confectis  
rebus feliciter, fortem ac hilarem gratulemur redu-  
cem domi, in quo spes omnes salutis ac fortunarum no-  
strarum sitæ? Tibi enim, SERENISSIME ELE-  
CTOR, id delegavit muneris DEUS, ut accipere-  
mus de manu tuâ, quicquid honorum indulgentissima  
ejus bonitas destinavit in nos ac dispensavit. Multæ  
magnæque, ELECTOR, nos exercuerunt, dum a-  
bes, affligerunt curæ: tantaque sollicitudo tenuit, tan-  
tus nos timor confudit ac circumegit, ut nusquam li-  
ceret quiescere. Quamvis sedaret, quod videretur  
solari atque mulcere mentes anxias; ejusmodi tamen  
haud erat, quod spei nostræ robur suum atque fiduci-  
am adderet. Obversabatur subinde, quod nostræ  
obstre-



obstreperet quieti, quod suâ in sede consistere animum haud sineret. Carebat imperium capite, unde nervorum, qui continent corpus, vis omnis atque potestas est. Erat in incerto successor, qui inter ambigua ista suspecta quæ prudenter ac fortiter regeret navem. Ruebant non tantum per gentes finitimas bella, quorum victoriæ juxta ac clades suspenderent animos terrerent quæ; sed in Germaniæ etiam partibus hæc ostentabant se arma strepebant quæ palam, hæc in operato tumescebant, & mox incipiebant gliscere, incertum, quod fulmen eorum erumperet. Interim aberas longè destitutis nobis inter hos fluctus, cujus præsentia, nostra securitas; cujus aspectus; tutela nostra atque felicitas est. Quid sequeretur ex eo aliud quam ut incenderetur tanto precum nostrarum assiduitas; quo magis magnis quæ exaugebatur trepidatio? O singularem DEI clementiam, qui tam benignè audiit nos, & tantos æstus explicavit! Datum Imperio caput est; hoc est; vita & anima: Redditus nobis Patriæ Pater; quo uno recepto, quid triste timebimus? Respirant itaque animi omnium, SERENISSIME ELECTOR, in tuo reditu, attollunt quæ se iterum ac emicant, & quæruni undique ac circumspiciunt vias, quibus in gaudia sua erumpant. Omnis ætas, & sexus omnis, & omnis ordo, exultant, ovant, atque triumphant. Incitat alius alium, ne quisquam segnius gaudet: contendunt omnes ac certant invicem, ut qui te amet impensius, hoc & lætetur effusius: & quamquam omnia faciunt singuli, nemo tamen satisfacit sibi. Ego verò, dum publici gaudii strepit festivitas, dum festo plausu bonis quæ ominibus latè resonant omnia, ecquid ingrediar, ELECTOR? Internè tuum,

an



an adventum in urbem, an actum ultimum moræ tuæ mirabor? Aut hæc omnia, aliud post aliud tamen, sed pari religione, venerabor? Tentare singula, arduum: & universa moliri, supra ingenii vires. Quamquam & cadere pulchrum, præclara conatis. Persoluta suprema Patri maximo pietate comparabili; coacti & celebrati conventus ordinum, obligatæ sacramento provinciæ erant, cum de itinere deliberabas. Atque cum plura restarent, implendis haud tantum supremis voluntatibus Patris, sed ordinando etiam statui rerum, & emuniendæ nostræ securitati; quanta manendi & resistendi videbatur imponi necessitas? Accedebant varii motus armorum: atque ex omni propemodum cardine se ostendebat, quod cautis & providis metum injiceret. Quis tam securus, ut tantum attendat periculis, quæ ex proximo imminet? Cavenda & dissita longius, ne propius serpent, ac ingruant tandem, & citius noceant, quam posse, cum contemnerentur, credideras. Nihil horum acerrimam mentem fallebat Principis; præceperat omnia secum, atque in animo peregerat ante: innixus tamen magnitudine suâ, obfirmavit eundi propositum, & cæteris omnibus commune imperii prævertendum putavit. Sic forte an disputans; totius primam habendam curam: satis in tempore consuli partibus, cum illi prospectum. Respiciebat & bonitatem causæ; cui non de fore sperabat præsentem favorem Numinis; quo uno confidere tutius multo, quam legionibus infinitis ac turmis. Alios terruisset viæ longinquitas; laborque ac difficultas itineris: te incenderunt; te incenderunt, ELECTOR, hæc potius, & admoverunt stimulos tibi, ut approbares, tanto te vehementius amare cura.



curareque publicum, quod gravioribus tuum molestis  
caput objiceres. Qui incredibilis mentis ardor, ac  
ferventissimus spiritus, diffusse videtur quodammodo  
ipsa frigora illa, quæ tum horrebant, & nives; & quic-  
quid hæc præter tentare constantiam itineris tui, aut  
celeritatem ejusdem morari posset. Discant, discant  
futuræ ætates, quid publicæ rei debeant Principes, at-  
que de pietate Principis nostri, exemplum sibi æmula-  
tionis pulcherrimæ capiant. Hoc enim magnos, hoc  
augustos ac venerabiles facit, non opes immensæ suc-  
cinctæque terrore potentia; sed magnitudo virtutis,  
& pietas maximè, uni egregio publico intenta atque  
devota. Sola potentia instabilis est; nam fulcris exter-  
nis innititur. Quamdiu nocere potest terrorique est,  
eminet. Exarmata & inops, perdit timorem, in  
cujus locum odium contemptusque succedunt. In  
semet ipsâ fundata virtus, idque æterna est: semperque  
in animis hominum amorem sui ac reverentiam exci-  
tat: quæ duo certissima præsidia sunt magnitudinis in-  
victæ, sola quæ principes Deos facit. Cum venisses  
in urbem habendis Comitibus, quæ te lætitia ac venera-  
tio Civium, qui honor Senatus exceptit? Quantum in  
singulis hinc reverentiæ, inde amoris fuit certamen?  
Recordabantur patris in filio: quem cum viderent,  
non dum credebant extinctum Patrem. Et ejus cum  
reputarent maxima merita, quibus superstes rem Chri-  
stianam sibi obstrinxerat; paria de nato, & vel majora,  
ominabantur. Quo animo enim, quo in commune  
bonum studio esset, adventus ejus abundè docebat.  
Jam Principes ipsos quid dicam? Quorum nemo tam  
magnus, qui non libenter te crederet talem & haberet,  
nec minus amaret. Crevitque in istis amor & reverentia  
tui



tui ex eo, quod tu eosdem peræquè amares & revereris. Nec aliud fuit, opinor, quod concordiam omnium constrinxit tam firmiter ac obligavit, quam amor mutuus, & æstimatio mutua. At in rem ipsam cum ventum esset, DEUM immortalem, quem animum? quas rationes atque consilia? quàm vera, quàm pulchra, sanctaque & salutaria attulisti? quàm ad hæc ipsa gravitatem, constantiam, fidem? Nimirum hoc cogitabas, hoc contendebas, ac inculcabas assiduè, ut redderetur maturè caput imperio, unde in cætera regimen; ut firmarentur concordia, & connecterentur inter se membra vinclo amabili; ut conciliarentur sceptræ externa, & muniretur ex omni parte ac stabiliretur pax; nec relinqueretur ægrum aliquid & habitum malè: ac per Europam omnem adeò, non audirentur alia vigerentvè arma, quam quæ in barbaros & aliena Christianæ pietatis nomina convertenda essent. Inter hos actus, & inter has curas, quàm nullus labor, nulla contentio tibi accidebat gravis? Quàm nihil tardii afferebat mora, quàm bona consilia valescere; nec quicquam magnum, & citò, confici, non ignorabas? Dureret perpetuò tibi hic animus, hæc ratio; aspireset eadem mens sanctirasque propositi, & cæteris, qui rebus præsumunt, & summam tecum moderantur fortunam: induant hanc disciplinam principum imperii cives, ac tueantur constantes, quod semel imbiberint; ô quàm beata ac felix Germania erit! Quàm supra invidiam florebit lætissimè, recuperabitque ac asferet decus, quod veneratus jam ante terrarum orbis! Si otium aliquod suspenderet seria, negotiorumque labores, (ut resumerentur alacrius) quieto aliqua daretur remittere, huc tuas vacationes contulisti  
maxi-



maximè, ut aut contraheres amicitias, aut stabilires, salutationum honore mutuo & efficacissimæ comitatis officiis: ut tuos affectus in proximo, Illustriss. Landgravium Hassiæ, cellissimamqve conjugem ejus, Sororem tuam, complectereris, eorumqve aspectu reficerer animum cupidum; aut brevius excurrens auspiceris struaturas novas ac moles attolendas in templa, acroateria olim oraculorum cœlestium, & incorruptis sacris dicatas sedes. O pura sanctaqve otia! O innocentes refectioes Principis nostri! A pietate alia ad aliam transeunt: & charitati suorum ubi satisfecerunt, jam religioni & satisfaciunt. O auspicata fundamenta atqve augusta; quæ religiosissimi Principis inchoavit manus, argento omni ac auro purior præstantiorqve, quod eò conjectum pro stipe fuit! Surgat feliciter opus sanctissimum, ac omnes vincat ætates. Non casus ullus, non ulla tempestas aut illi vitium afferat; aut finem importet. Mansurum, invictum, æternū perstet: nec ulli alii ritus ac cultus, aut fraude irrepāt, aut irrumpant unquā per vim, quā quib9, & in quos semel incepit & consecravit nostri Principis pietas. Ut primum admovens saxum non templi magis, quā veritatis cœlestis, adolituræ in auctus uberimos, pedem ac fundamenta posuisse, videatur. Patere, quæso, ELECTOR, & facilem divertendi paulisper abs TE, ad Eminentissimam Conjugem tuam, indulge veniam, quæ inter hæc ipsa anxia perquam, atqve sollicita de tua salute, non sustinuit amplius divelli ac distineri abs te, in cujus animâ vita ac spiritus suus verteretur. Magna equidem fidei, magna perfectæ charitatis vis atqve impetus est. Quiescere amor ingens securusqve esse haud  
pati-



patitur, quam diu ejus aspectus subtrahitur, cui se dedit. Omnia metuit: tuta etiam timet. Licet & multas & fidas manus, multos & vigiles oculos, circa affectus suos meminerat: dubitabat semper tamen, atque verebatur aliquid, nec quicquam satis rectè autumabat fieri, nisi quod ageret ipsa aut inspiceret agi. Prope-rare igitur ad te, ut sibi sollicitudinem demeret, tibi curarum levamentum afferret, tuæque adeò valetudini advigilaret coram: cum si quid ureret fortè, ac gravaret, efficacissimis alloquiorum Gratiis leniret aut tolleret. Traxerat secum & pignus commune, absolutissimi exempli filiam. Cujus juvenus decora, & formæ æmula virtus, totque ingentis ac animi excellentissimæ doctes, quid non solatii ac voluptatis amantissimo & indulgentissimo patri promitterent? Maeste hac pietate, SERENISSIMA PRINCEPS, maeste, inquam, MATER OPTIMA PATRIÆ, quā antiquarum Heroinarum æqvasti gloriam, quæ in provincias, in castra maritos principes, nullo impedimento negotiorum, ac multo laborum levamento, sequi amabant, ne fidelissima illis fortunæ omnis consortia eriperentur. Maeste, inquam, & tuæ virtutis mercedem, à venturorum seculorum laude expecta. Non te tacebunt memoriæ publicæ: nobilis ipsa nosceris annalium portio: inter maximorum Principum acta pietas quoque legetur tua, & apud posteros clara erit. Celebrabitur unà & filiarum decus: quæ avelli à matre, ut patrem videret, noluit: & matri eunti ire voluit comes, documentum ut daret, quanti faceret, quam tenerè amaret, utrumque parentem. Cedit, cedit, in tuam gloriam, DOMINE, & uxor tanta, & filia talis: eoque nunc lætior nobis reditus tuus est, quo

co-



comitator ipse & sic optator est, quam itio fuit. Acerbum fuit ac triste, relinqui, cum ires, abs Te; cum reddis te nobis, & ita quidem, ut reddas unà & pignora tua, nec votis nostris relinquis aliquid, & gaudiorum hilaritatem consummas. Sed quid de reditu tuo sustineo dicere, qui de eventu Comitiorum nondum commemoravi? O Idus Juliarum, quæ declarastis; ô Kalendæ Augusti, quæ consecrastis novum Imperatorem, quod anno decus, quam felicitatem promittitis seculo? Sed auspiciatæ utraq; cum illuxeritis & maximi plenæ augurii, quod ex utroque poscendum imprimis & expetendum? Vincere magni ducis est: Principis magni, felices facere suos, quod expectandum à pace. Invieta bellorum virtus in Julio nituit; non eâ defecit Augustus; sed pacis felicitate gloriaque Augustus exstitit major. Imperium Julii, quid nisi bellum? nulla bellorum salus est; pacem Augustumque optamus: qui neque metuat bella, nec provocet: & pacis interim decus omnibus anteponat triumphis. Non numeramus Imperatoris nostri annos: metimur capacitatem indolis: Quâ juvene principe Juventam novam ac robur imperium capiet. Non anni virtutem; mores & disciplina faciunt. Et magnitudo regnantium, non modo ætatis, quàm auspiciorum efficaciam æstimatur. Vix major annis octodecim Augustus erat, cum Julii sui hæreditatem adiret ac cerneret, & auspicaretur imperium, quod non angustioribus terminis, quàm orbis terrarum continebatur: Non quisquam tamen post eum præfuit rebus, aut actu major, aut effectu felicior. Verrât in omne anni utrinque suppres: præstet AUGUSTUS Germanicus noster, incrementum ætate, eum Principem nobis, quem principi populo

L

R



Romanus dedit AVGVSTVS. Quin contrahemus potius vota, & arctiore gyro augurii nostri constringemus fidem: Juvenis præstet hic nobis, quod ille Senior demum terrarum orbi, cum positis bellis undique, & domi redderet pacem imperio, & sanctitate foederum firmaret undiquaque foris ac stabiliret. O summum pulcherrimumque opus vestrum! PRINCIPES MAXIMI; ô beneficium verè divinum, si tantam impertiistis felicitatem nobis, cum elegistis Imperatorem talem, ac tam AUGUSTUM! Pacata enim Europa, quæ Christiana, interque se amicè conspirans, quam vim hostilem timebit ac impetum? Quam impotentiam armorum verebitur? Assurgat contra Asiæ uber: æstus ac solitudines suas impingat Africa: incurrat omne barbarorum nomen; sustinebit, repellet, profligabit, quicquid ingruerit, atque in ipsis sedibus suis adeò devincet penitus hostes, immo excindet. Documento clarissimo penes se esse, & florem virorum & ingeniorum excellentiam, & omnium honorem virtutum. Quoniam nihil amplius restat, quam ut soliditatem ac robur, tuo Collegarumque imo suo operi addat DEUS, & vota nostra atque auguria propitius impleat. Redi in tua, SERENISS. ELECTOR, redi in tua feliciter: & qualis mundi status est, cum nocte exactâ ad orientis Solis jubar excitantur erigunturque omnia, simulque colorem & habitum & spiritum quasi recipiunt denuo, quæ informia ac exanguia veluti atque eneçta jacuerant ante condita tenebris; talem & nobis reddito tuo fidere redde. Si quid adhuc serenitatem spei nostræ offuscare videbitur, & plenâ nondum securitate nos sinat frui; virtus certè, & vigilantia, & indefessæ illæ tuæ  
ac



ac providæ curæ efficient, ut avertantur æstus omnes  
ac nubila, quæ sudum istud quietumque nostrum at-  
merent atque convellant. Cum præstò est pastor,  
nihil trepidat grex: pascit securè, & omnem periculi  
metum custodientis tutelæ remittit: perinde & nos  
agemus nostra deinceps, securi illorum, quæ à provi-  
sione atque præsidio tuo expectanda. Vnum re-  
stat, SERENISSIME ELECTOR, precari ac  
petere, ut quicquid suscipies & ages, id prosperet  
DEVS ac provehat. Neque enim suscipere aliud  
aut agere voles, quam quod securitatem imperio,  
salutem nobis, felicitatem omni-  
bus tribuat.

D I X I

L 2

ORA-





## ORATIO NONA.

IN EXCESSVM

PERILLVSTRIS HEROIS,

HENRICI SENIORIS,

LIB. BARONIS à FRISEN, &amp;c. &amp;c.

SERENISS. ELECTORIS SAXON.

IN SANCTIORE SENATU CONSILIARII,

CANCELLORUMQUE, NEC NON IN

APPELLATIONUM CURIA

PRÆSIDIS.

DICTA A. clō. I. c. LX.

RECTOR MAGNIFICE:

Electoatus Saxonici Hereditarie Ma-  
reschalle, idemque Serenissimi Princi-  
pis nostri Consiliarie ac Cubicularie,  
nec non Provincialis Curia, quæ hîc  
est, Splendidissime PRÆSES, &c.

*Patres Academici Reverendi plurimum ac  
Excellentissimi; ceteriq, reliquorum ordinum Am-  
plissimi, Clarissimi, Prudentissimi Auditores: utq,  
nobilissimorum lectissimorumq, Iuvenum florentis-  
sima concio:*

Qui



**Q**ui navigant mare, ventisque ac fluctibus res capitaque sua crediderunt, ut æstuum ac tempestatum incerta non nesciant, non metuunt tamen; & magnam sumunt fiduciam, cum tales Rectores sibi adesse viderint, qui gnari locorum, qui cœli ventorumque mores intelligant, & ex quibusdam signis colligant ominenturque, quid instet, peritè: ut, quæ secundum ac facilem cursum promiserint, in tempore occupent; & quæ minentur ambigua tristia vè, declinent maturè accaveant. At cum eosdem aut casus aliquis, aut fatum suum abstulit, neque apparent statim, quorum peritiam ac artem opponant fortuitis, quorum maximè omnium capax est mare; tum plerosque vectorum omnes concidere animis videas, ac tantò quemque magis esse sollicitum, quo vitæ fortunisque suis timeat magis. Non comparatum aliter cum publico est. Cum assunt amici & adjutores Principibus, qui sapientiâ valeant, & diuturnâ maximarum rerum tractatione subacti ac callidi adversus quoslibet casus reperire præsidia in promptu habeant, nemo non lata omnia secundaque augurari consuevit: at cum eosdem contigit eripi, quæ trepidatio, quæ sollicitudo ubique incedit? Qui metus incumbit omnibus, queis cura aliqua patriæ est? Quam tuta tranquillaque etiam timeri incipiunt? Nobis itaque, **RECTOR MAGNIFICE**, nobis inquam, **PATRES AMPLISSIMI**, quid fiet, in quos non dispar casus expetiit, cum altero mense ante, Perquam illustris Baro, **HENRICUS FRISIUS** Senior, Serenissimi Principis Consiliarius intimus, & summus Justitiæ ac Cancellorum Præses, ter-



ris excederet? Grandi quantumlibet natu & plenus ævi digressus sit vitâ: nihilominus tamen non potest nobis non tristis atque acerba ereptio ejus accidere, qui ea in uno illo amissimus, quibus non sine sollicitudine singulari & metu ancipiti carere patria potest. Non desit alius, qui clavum arripiat, quem ille hætenus tenuit; at optimo tamen succedere arduum; multoque facilius est, secundum dare, quàm alterum. Quæ dotes in eo ingenii pariter ac animi eminebant rarissimæ? Quæ incredibilis virtus ibidem atque in omni ejus vitæ actu exsplendescibat? Quæ capere saltem cum detur paucis, quò difficilius erit sic æmulari, ut impleas? Eædem ego dum reputo mecum miratus lugensque pariter, atque de iis aliquid paro dicere, vix jam ingressus, atque in primo limine statim sentio, quid in me oneris susceperim. Nam dum respicio, quid universa Academia, quid ipse peculiariter inclito FRISIORUM nomini debeam; & transeundem virum tantum silentio, magnum atque insigne videtur nefas; pietatem quidem meam quid deceat, attendo; quid possim & valeam infelix, parum considero. Veniam tamen merebitur, spero, hic inconsideratus impetus meus, non improbus; cùm vix ejusmodi vis movere ac rapere animum soleat, quin simul ex temerario aliquid trahat. Interim tamen non nihil me præstitisse existimabo, si in HENRICO FRISIO, cui hoc parentale instituimus sacrum, MAGNI, & SENATORIS & CANCELLARII, ut olim expressum, sic nunc relictum posteris, pro modo ingenii ostenderim EXEMPLUM. Qui nobilem aliquam statuam informat Artifex, ut simulacrum unius exprimat; ex pluribus membris tamen illud componit. Mihi quoque



quoque exemplum Senatoris & Cancellarii magni in  
FRISIO nostro descripturo, unam effingere licet  
dignitatem videat, multarum rerum tituli tamen con-  
gerendi eò & compingendi aptè erant, ut consumma-  
rem, quem exhibere intenderem. Sed in immensum  
ne se extendat oratio, ad quædam præcipua capita  
totam hanc summam revocabo, dicturuseum, quem  
moliore, & **GENERE NOBILEM**, & **EXCEL-  
LENTEM VIRTUTE**, & **MAGNUM PERI-  
TIA**, & **AVCTORITATE VALIDUM** esse  
debere. Pythagoras, primus Philosophiæ dedica-  
tor, conflatum ex quatuor singulis numerum, divi-  
nissimum cæterorum, & summis omnibus debitum  
ac consecratum asseverabat. Fallor ego, aut quatuor  
ista, quæ dixi, magni **SENATORIS & CANCEL-  
Larii** non indecorè repræsentabunt personam.  
Sæpius fuit tractatum, an ad majora illa ministeria  
in aulis, tam necessaria sit nobilitas, & excellentia  
generis, ut nisi quis eam ad partes afferat, & multum  
earum splendori obducatur caliginis, & minus efficiat.  
Quamvis autem strenuioris industriæ nervi, animique  
capacitas & magnitudo illustres natales comitetur  
haud semper; & aliquando in novis hominibus etiam  
accidat, ut dotes hujusmodi uberrimè luceant, iique  
duabus his quasi subvecti alis enitantur in summa;  
ad splendidissima tamen munerum, non temerè  
alios, quàm splendidissimum quemque admoveri  
conveniet. Magna Nobilitatis vis est; eaque,  
ubi accessit virtutum splendor, ut facilè quosvis ob-  
umbrat alios, ita iisdem etiam plus pollet. Quis  
aurea gemmeaque vasa fictilibus creis que non præ-  
ferat? Nam utraque licet inserviant usibus, in



illistamen plus auctoritatis ac pretii est. Meritò igitur in Senatore & Cancellario magno primum erit, sublimitas generis; ut tanto conspectior ejus dignitas sit, quo ipse splendore natalium uberius fuerit illustratus. Cæterum nobilitatem HENRICI si ab origine ultimâ velim repetere, in longè remota secula mihi, & illa adeò tempora eundem esset, cum in Helvetiis Rauracisq̃ue primùm Equestri dignitate floruerunt FRISII, & inde postea cum multis aliis illustribus familiis, declinaturi Patria turbas, in Mysos nostros Variscosq̃ue demigrarunt. Ibi igitur cum novam invenissent Patriam, ut se non indecoros cives, nec degenerare à Majorum suorum virtute gloriaq̃ue ostenderent, Deus bone, quibus illustribus facinoribus gentem nomenq̃ue suum extulerunt? Inprimis verò magni eorum æstimata opera fuit, cum FRIDERICUS Marchio Misniæ, fortissimus atque acerrimus (quibus virtutibus cognomen etiam meruit) Princeps, diuturnis atq̃ue gravissimis bellis, partim iniquitate Patris impii, partim invidiâ eorum & avaritiâ, quorum hiantes cupiditates avitis ejus & fratris bonis imminebant, implicaretur. Itaque quadringentis annis abhinc in his provinciis FRISIORUM stetit nobilitas, & incorrupta dignitate delata ad CAROLUM est, HENRICI Patrem, qui in aulâ illustrissimi Ducis Saxonie Altenburgensi summum adeptus virtute locum, Magistri domus, seu Mareschalli, & intimi Consilarii munere summâ cum laude defunctus est. Magnum est acceptum à majoribus decus industriâ artibusq̃ue tueri clarissimis: augere idem, tollereq̃ue in majus, & novum atque illustrius lumen, quàm in priorum titulis fulsit, accendere posteris, quantò præ-



præstantius ac excellentius est? Id enim documento fuerit, eximium aliquid ac singulare in eo, qui potuit (potuit autem HENRICUS) emicuisse. Sed BARONATVS infulas ut nunquam ambiit; sic ab AUGUSTO delatas spontè, nec deprecatus abjectè est, & verecundè accepit: procul ambitione pariter, & indecorâ humilitate. Quamquam superbix etiam videretur, non parere donantis auctoritati, & fastidire velut, quod ipse Principum Princeps offerret. Nunquam tamen pro magnitudine animi iactavit honorem per insolentiam, aut ostentavit gloriosè. Ratus, summum ac maximum cuique decus intra animum ejus consistere, & eo imprimis quem æstimandum. Neque enim satis est videri magnum: præstare oportet, quod quis per animum maximè potest. Ab eo enim omnis vis illa ac impetus est, qui nos in eas res urget ac incitat, in quibus vera magnitudo ac excellentia sita. Parcius de nobilitate HENRICI videbor dixisse, qui patriam tantum perstrinxi, maternam silens. Nam si utramque pertexere ordine, & ire per stirpes singulas, ac recensere earum decora velim, pluribus mihi & spatiosissimis clepsydris opus foret. Non solâ nobilitate censendum se præbuit Heros noster: nec ea magnum ministrum Principis una absolvit: inchoat tantum, & speciem quandam ac superficiem ejus adornat: cui spiritum ac vim, & efficaciam suam, ac corpus quasi, virtus tribuit, de qua nunc dicendum. Nam qui natalibus tantum nritur, & cui in solâ origine omnis posita laus, aureæ massæ videbitur similis: quæ nisi accedat artifex, & attractet peritè, manuq; ingeniosâ in formas ususq; varios figuret ac fingat affabrè, præter splendorem quid



imputabit? Virtus est per quam vivit vigetque nobilitas; quæ maximè confert, quod pro auctores magnos atque illustres reddidit. Hæc efficit omnia, hæc patrat omnia, quæ admirationem ac laudem pariunt; hujus unius operibus prosperitas omnis & salus atque securitas publica procuratur. Sed numerosa cum sit, & nulla non ejus species ornare mirificè decereque Senatorem & Cancellarium magnum possit; isque, quo abundarit pluribus, hoc consummatio illustriorque futurus sit; id primum ac summum tamen in eo crediderim, ut virum pium ac probum exhibeat. Imbecillior est natura humana, quàm ut egregii aliquid atque frugiferum, quæ privatim, quæ publicè, conari saltem, nedum efficere valeat ab se, ni intervenerit DEUS, ac vires opesque aspiret haud tantum, sed & consilia suggerat, & vias velut aperiat, quæ sit eundum. Nam neque verum nec justum patebit ulli, cujus non mentem ante irradiarit Numen propitium, & luce suâ collustrarit. An unquam autem spernens ac negligens DEI, contemtor ac conculcator religionis, hæc sibi ausit promittere? Quanto igitur magni, & Senatoris, & Cancellarii munus arduum magis atque difficile est; hoc minus carere divino auxilio, hoc minus & pietate, quæ illud impetret, posse existimandum. Sed quanta ea in nostro Heroe, & quàm eximia fuerit, si dicere parem, vereor valdè, ne quicquid dixerò, fuerit minus. Nec nunc de publicâ memorabo, quæ traxit advertitque omnium oculos; privatim enim & solus secum ita pietatem habuit, ut foris cum magnum ministrum Principis ageret, intra secretum domestici laris sacerdotum haud paucos transcenderet, religiosissimos autem illorum æquaret. Nam prima illi, & antiquissima  
cura



cura perpetuò fuit, castè & sanctè colere DEUM, puras ac innocentes ei allegare preces : versare stans horis oraculorum cœlestium Codicem, & meditari legem divinam, certissimum consiliorum gubernaculum. In his & auspicabatur diem & finiebat : his dare solebat quicquid vacui temporis publica privataque negotia relinquerent : diversissimus illis, qui parum digna hæc Palatina purpura censent, & sacrificulis potius, ac otiosæ plebi deleganda putant. Proxima ei probitatis sive justitiæ cura fuit : Cujus antistitem summum aut arbitrum sese cum recordaretur subinde, perire sibi muneris titulum, & verè existimabat, ni justum & æquum præberet se omnibus ; idque curaret perpetuò in tribunalibus juxta & in consilio Principis, ut suis sententiis veritas sanctitasque constaret. Tacet justitia, nisi loquatur per Cancellarium seu judicem ; latetque aut periclitatur in aulis veritas, nisi Senator producat & asserat. In utroque igitur satisfecit muneri suo HENRICUS : & sic exemplum reliquit post se, quid sequi atque contendere inprimis debeant, qui aspirare ad dignitatem eandem, & hanc implere magnificè velint. Justitiæ referendum & istoc est, quod æquè reverens Principum, ac studiosus patriæ semper fuit. Utrumque enim utrique debetur : & suum cuique tribuere, plenissima justitiæ ratio est. Non separari Princeps atque Respublica possunt. Connexa arctissimè commoda utriusque sunt : nec sentit non ille, quicquid in istam redundat mali ; & quicquid Principem urget, hoc patriam gravat. Quorum cavere alterum, alterum procurare omnibus modis, ut boni ministri Principis est, sic nunquam non pensi inprimis habere studuit noster. Est in virtutibus istis, quas



quas commemoravi hactenus, serium aliquid ac grave:  
 quod mores HENRICI ne verendos ac suspiciendos  
 tantum faceret, temperamento opus erat, quod amce-  
 num aliquid ac suave iis misceret. Severitas itaque a-  
 derat, sed sine rigore: aderat gravitas, sed nullâ auste-  
 ritate corrupta: & in utraque multum & comitatis  
 & humanitatis elucescebat, non modò cum dignita-  
 tis posuisset personam; sed & cum sustineret maximè,  
 ne ademtâ fiduciâ ac spe, horrorem metumque adi-  
 turis incuteret. Patere itaque omnibus, audire pati-  
 enter quoslibet, affari etiam cum opus, & bonam  
 deferentibus desideria sua addere spem promptè li-  
 benterque solebat, multâ benignitatis laude, nulla  
 imminutæ gravitatis culpâ. Atque in magno Sena-  
 tore ac Cancellario quos implet numeros, si, quàm  
 verendus, tam amabilis idem exstiterit? Non omnia  
 peragit gravitas: quædam prudenti facilitate citius  
 impetres. Quare utroque hîc opus est, quo terreas  
 alios, alios verò soleris ac erigas, & meliore spe im-  
 pleas. Posthæc quam curam acerrimam noster ad  
 negotia? Quem invictum vigorem ad tolerandos  
 afferebat labores, quos ei officiorum objiciebat ne-  
 cessitas? Primus in Cancellis aderat, postremus in-  
 de discedebat. Ut cæteros exemplo potius, quid fa-  
 ciendum, quam dicto moneret, pudorem incutiens,  
 odium vitans. *Exasperat enim homines imperata cor-  
 rectio, blandissimè jubetur exemplo.* Quæ moles, quæ tur-  
 ba causarum unquam ipsum terruit? Quæ Controver-  
 siarum fregit obscuritas? Incitavit industriam ejus &  
 studium potius: & usque adeò suam detatigari constan-  
 tiam passus haud est; ut illa etiam rerum actibus tempo-  
 ra daret, quæ refectioni corporis jure optimo debe-  
 ban.



bantur. Non hæc in luteas plebejasque animas cadunt: diviniore cujusdam naturæ est, amare curam: somnum atque segnitiam fugere: & cœli nunquam quiescentis instar gaudere pariter motu ac vegetari. Nimirum Herculem esse magnum Senatorem & Cancellarium oportet: qui superato uno labore alacrior subeat alterum: nullum gravetur, nullum fugiat: novusque semper ac recens quærat subinde ac circumspiciat, quod bono publico, cujus curandi perpetuo ipsi incumbit cura, profliget ac vincat. Tertium Senatoris & Cancellarii magni titulum PERITIAM feci. De eo itaque exponendum nunc est, & quanta in FRISIO fuerit exempli gratiâ declarandum. Neque enim defecit hæc laudis parte, qui tam excelluit in reliquis: aut qui nobilitate atque virtute æquabat mensuram splendidissimi muneris, hic impar fuit. Falsus de cætero, opinor, haud erit, si quis PERITIAM, à libris partim, partim à rerum usu ac consuetudine, certissimâ ac fidelissimâ magistrâ agendi ac duce, petendam existimet. Ac libros cum nomino, doctrinam seu eruditionem intelligo, quæ inde paratur. Latissimè Patet hujus ditio, nec arctioribus terminis includitur, quàm ipsa sciendi discendi que cupiditas. Ut eruditionem, omnium artium ac scientiarum, quibus absolvitur Sapiencia, cinnum pulcherrimum atque complexum vocare possis. Multæ ac infinitæ res in deliberationes atque Consilia Principum incidunt: nec pauciores in tribunalium inducuntur cancellos. Hic cum Senatorem mutum sedere, & statuendi anxium, & se nequicquam versantem in partes omnes; aut Cancellarium pronunciare absurdè, turpe admodum sit, & noxium sæpius; quo instrumento doctrinarum paratum esse, quo comitatu



tatu clarissimarum artium stipatum oportet fungentem istis amplissimis partibus, ut impleat locum, & togæ summæ splendorem ne quâ obliteret? Sed neque nobiscum nascuntur hæc tanta bona, neque contingunt nobis temere: multis vigiliis, infinitis laboribus, & incredibili contentione opus est, ut ea in literariis ludis tibi ac Academiis compares. Sed cum latissimè, uti dicebam, eruditionis porrigantur fines, & nullum non literarum genus Senatoriæ huic, ut ita dicam, purpuræ, ornamentum illustre polliceatur: tum necessaria maximè ei Historiarum videtur cognitio, doctrinaque civilis, tum publici privatiqve juris scientia, quam regiam artem vocabat Plato, quod eâ nec Reges ipsi ac Principes; & multo minùs, qui circa eos, & à Consiliis sunt, carere queant. Atque his rebus quid non licebit conficere, si eloquens facundumque os, & artificium dicendi accedat? Nihil in rebus humanis contingit novi: orbis quidam decurrit: quæ gesta prioribus seculis legimus, hodie rursus videmus geri: ut, cum ludatur fabula eadem, aliæ saltem procedant personæ, & scena non nihil commutetur. Hæc nosse igitur, & pertractata habere, quàm acce & efficax ad prudentiam telum? quod ad consiliorum rationes omnes ac vias adjumentum suppeditabit? Magnam facilitatem non modò, sed certitudinem etiam habet, ex aliorum lætis aut tristibus discere, quæ sequi & quæ vitare oporteat. Sine periculo nostro ac damno, & aliena stultitia instruit, & sapientia moderatur ac regit: nec ullus alius titulus Historiæ magis convenit, quam cum *Magistra vitæ* appellatur. Non aliunde ipsa Civilis doctrina habet origines suas ac incunabula. Hæc illa verissima genitrix est, quæ hanc præclaram

ram



ram Sobolem edidit: quæ suis uberibus illam educa-  
vit & aluit & incrementa ei ac robur & bonam quasi  
valetudinem dedit. Unde enim præcepta, nisi ex a-  
ctionibus sunt? Et hæc suppeditant normam dein-  
ceps, ad quam exempla actionum exigantur. Utra-  
que igitur necessaria illi, qui tractat Rempubl. versa-  
turque in actu, & pacis belli que negotia temperat, &  
in utrumque tempus consulere debet. Jam si inter-  
pretari ac reddere vicem Principis jus, si incidentes  
controversias decidere atque dirimere munus propri-  
um Cancellarii est: ac si eidem cum Senatore, & os  
& linguam Principi, cum quid loquendum in publico,  
commodare incumbit; quanta ipsum & juris omnis  
prudentiæ, & eloquentiæ vi præstare oportet, ut mu-  
neri suo, & majestati ejus respondeat, cujus gerit perso-  
nam? Nihil istorum unquam defuit FRISIO, & eò  
paratior digniorque ad summum togæ decus ascendit.  
Rara habebat naturæ bona, non corporis tantum, sed  
animi etiam, cujus hinc principes sunt & summæ partes.  
In puero statim, cum teneretur domi adhuc, ingens  
ardor discendi, cum docilitate ingenii semper certa-  
vit: sed Academiæ spatia cum esset ingressus, quam  
capacissimam indolem, quam vim ingenii abundè  
probavit omnibus? Quam lato ac libero impetu gras-  
satus in studia est, immissisque habenis veluti procur-  
rit alacriter, quò tot majorum decora, quò Patris & sua  
ipsius vota ardentem animum ejus rapiebant? Quid  
egregium in literis, in disciplinis præclarum nota-  
bat, & emolumentum insigne aliquod ad facultatem o-  
randi & sapientiam, duas maximas artes, & conjun-  
gendas illis perpetuò; qui Reipublicæ se parant, colla-  
turum, id invadebat cupidè, arripiebatque & cu-  
stodi-



studium animo sedulo commendabat. Cæterum in nobilissimo Juris studio eò processerat, ut ne peritissimis quidem videretur concedere, cum quæ didicerat, expromere cepisset. Atque audire memini ex ipsis artis principibus, sic disciplinam omnem fori ac legem calluisse FRISIUM, sic pernovisse causæ cujusque indolem, & ut sic dicam, meritum; ut nullus forensium vatum temerè, docere de iis melius, aut definire certius posset. Hinc nemo mirabitur, qui præidentem in tribunalibus pari celeritate & recensere illatas causas, & de iisdem pronunciare audierit, nihil morante expeditissimum ejus judicium, aut mole illarum, aut varietate. Jam Eloquentia ei quam prompta ac profluens virilisque ac gravis? non fracta & pictis sententiolis vibrans: qualis aliquem Rhetora quidem, non ejus personam deceat, cui aut apud Principes, aut in Prudentum Concilio, de publicâ re, & ordinatione optimi status, loquendum assidue ac disserendum? Ubi sensus & rationes, non venustates ac elegantie spectantur: & eloquentissimus habetur, qui optima quæque verissimaque disertè persvadeat. Possint nonnulli desiderare in eo peregrinandi studium, & arbitrari, sic defuisse, quod grande momentum prudentie addere videretur. Neque diffiteor, magno usui esse proficiendi hoc genus, si quis in eo versetur ut decet. Ac FRISIO quidem nec votum eundi peregrinè, nec copia deerat: ni properus Patris obitus, & solitudo viduæ matris manendi necessitatem imposuissent. Quamquam quid detrimendi in eo passus magnopere sit, haud possum dispicere. Utile sit externa nosse, ut ad domestica plenius sapias: & didicisse alibi, quæ aut emendent res nostras, aut amplius instruant: at  
quanta



quanta audiendi legendique talia copia est? Namque  
 & auscultare peritos, & prodita literis evolvere licet.  
 Est enim hæc Seculi nostri felicitas, ut nulla propemo-  
 dum reperiatur uspiam gens, qua patet orbis, cujus  
 mores atque ingenia, & disciplinæ ac rationes, admini-  
 strandæ tuendæque privatæ simul & publicæ rei, tradi-  
 ta commentariis, & luculenter non exstent exposita?  
 Quorum ex lectione tutius multò atque securius pro-  
 ficere, quàm ex inspectione ipsâ quandoque liceat.  
 Nihil in rebus humanis sincerum ac purum: & sæpè  
 virtutibus maximis connexa non minora vitia sunt.  
 Datura & ipsa cum honestis exemplum, quibuscum  
 copulata fuerint. Ita enim est: majores ad corrup-  
 pendum illecebras, peregrinæ labes semper, quam do-  
 mesticæ habent. Has, quia consuetæ, ferimus tran-  
 simusque; illæ advertunt novitate suâ, & trahunt blan-  
 dè: & quò subierint dulcius, hòc pestilencius postea  
 nocent. Sic dum salubre aliquod nobis credimus  
 præberi, plus multò unâ lethalis veneni propinatur.  
 Adeoque sæpius fit, ut dum externæ induuntur macu-  
 læ, domestica decora exuantur. Cum pro candore &  
 ingenuitate; pro gravitate atque constantiâ gentili,  
 peregrina simulatio, & ficti vulcus, & insidiosæ blandi-  
 tiæ, & temporarium versatileque ingenium, ut novæ,  
 sed saloberrimæ, quod putant nonnulli, artes, recipiun-  
 tur: Cum subtilioris prudentiæ titulo, machinamenta  
 callida astutiæque, & quicquid fallendi disciplinas pro-  
 mittit, ex alieno immigrat: aut fastiditâ frugalitate ac  
 continentiâ domesticâ, voluptates externæ, & dānosissi-  
 mi luxus genus omne, amœnitatis & elegantiæ, & cultio-  
 ris vitæ nomine, pestilentissimè obrepunt. Hæc evitasse  
 videtur HENRICUS, & incorrupta magisque sincera

M

servas-



servasse bona Patriæ, quia infidiosa exterorum mala ne viderat quidem. Sed rerum peritiam ut inchoarant in FRISIO studia, & quasi fundamenta adstruxerant; sic usus rerum atque exercitatio perfecere, ac eduxerunt tandem in summum illud, in quod suspicere reliquos oportuit. Reperiuntur non rarò per impotentiam infiti ambitus, qui summa affectant, antequam capiunt: & modò occupent, tueri quàm valeant, minimè omnium pensi habent. Sic & affligunt imperitiâ suâ publicum, & prostituentes se turpiter, contemptum pro gloriâ auferunt. Nam ut inanibus titulorum imponant simplicioribus; prudentes perindè decipere haud possunt. Et licet ignoti fallant ac lateant paululum; reiecti mox tamen, & cum patere ceperint, derisui sunt. Non laboravit hóc intemperariarum genere FRISIUS: non cursu aut saltu; per gradus ascendit: voluit sui periculum facere ante, humerosque tentare quid valeant, & ad ferenda graviora onera in levioribus experiri vires. Nam neque mare irrupunt nautæ, ac tempestatum statim laceffunt hiemes, sed in tranquillis lacubus prius atque litoribus, & remos explorant, & clavi regimen periclitantur. Miles etiam tum demùm animi atque fiduciæ plenus procedit in aciem, & auguratur victoriam, cum in campo antè ad palum diu exercuit robur, & levioribus præliis se induravit. Ac primùm quidem annos non paucos FRISIUS in Electorali Curiâ Lipsiæ, deinde & Dresdæ in appellationum affedit iudicio, reddiditque just: dein Coldiciensi & Rochlicensi & Leusnicensi præfecturis, moderando illarum statui, adfuit. Hic cum industriam, integritatem, prudentiamque suam, ac fidem multis uberrimisque documentis appro-

basset



hasset præclarè, tùm sustinuit demum, hæsitans tamen ac multùm luctatus secum, adscisci à Principe in summum illud sanctiusque Consilium, & Tribunali utrique, hîc Cancellarium, quem vocant, hîc Præsidem dari. Neque profectò has partes aut dignè suscipiat, aut eas ex usu atque egregio publico administret ac gerat, nisi operibus plurimis cognitus antè negotiisque expertus fuerit. Imitamini, imitamini generosiores animæ: nec præcipitate vota vestra ac spes: ne lapsus ruinaque properantem castiget audaciam, & sui erroris tandem, sed serò tamen, admoneat. Perdit fiducia sui nimia; tutius atque constantius vadit, qui pedetentim incedit ac cautè. Inter specimina magnæ indolis, modestiæ etiam cura est: quæ, ut Clarissimus auctor ait, *nec summis mortalium spernenda, & à Diis æstimatur*. In minoribus, experimentum majorum est. Restat præscripti curriculi ultima pars, quam in AUCTORITATE constituimus, tam necessaria Senatori magno & Cancellario, ut totum illius officium velut destitutum nervis jaceat, ac parum efficax videatur, ni erigat ista atque constringat, constantemque ei vigorem & robur inducat. Tolle Majestatem, quid Regem tuebitur? Tolle auctoritatem, quid magnum ministrum Principis vindicabit? Solebant priæci artifices, Deorum, quos effingebant in simulacris ac statuis, capitibus radiatum circumfundere lumen, quod loqueretur numen ipsorum, mortaliumque vulgaritati eximeret. Ut magni ministri appareant, qui sint, & agnoscantur præ cæteris, & efficaciter muneris sui exserant vim, augustum istud opinionis, sive auctoritas, quæ instar nimbi divini undiquaque eos ambit, imprimis facit. Multum quippe in animis homi-



num respectus & veneratio cujusque potest. Ut instructissimam orationem afferas, vix penetrat tamen ac movet satis, ni reverentia majestasque dicentis sanctam eam atque invictam quasi reddiderit. Tam necessaria itaque magno Senatori & Cancellario auctoritas est, quam necessarium, eum cum pondere ac efficaciam censere atque statuere. Ac multum quidem huc confert, & titulus muneris, & Principis, unde fluit, judicium; sed ni utrumque impleas, & propriis firmes atque stabilias opibus, non deerit quidem lumen ac splendor aliquis, sed similis fulguri, quod nullum tonitru comitatur. Quod major autem illarum rerum, quæ & auctoritatem faciunt, & eam adjuvant, FRISIO aderat copia; eò & amplior eum comitabatur auctoritas. Sed nihil magis venerationem homini, quam virtus conciliat, & quiddam augustius illi opinione circumdat communi. Hæc cum Solaris astri instar emerisset, dum circumlatè spargit radios, advertit quosque facile, & quantum pulchritudine luminis sui trahit ac allicit, tantum & vi ejusdem ac incredibili efficaciam in admirationem sui concitat animos, & quadam religione formidineque augustam implet. Sed de virtute FRISII cum supra dictum sit, nihil de ea nunc reddam amplius. Id potius referam, maximi eam à Patriæ Patribus æstimatam perpetuò, in quo quantum momenti ad comparandam auctoritatem positum est? Multa hinc recensendi in istam rem se offerebat occasio: sed in compendium mittenda oratio est. Atque de Divo Patre quidem quid dicam? qui quanti æstimavit FRISIUM, post documenta alia, vel inde constiterit, quod cum ipsius auspiciis ab incomparabili Conjuge, cum eminentissimo Fratrum pari deducenda esset

MAG-



MAGDALENA SIBYLLA MINOR, ut Regio  
 Daniarum Norvagarumque Principi jugalibus sacris  
 connecteretur solenniter, delectus missusque HEN-  
 RICUS maximè, qui comitatui universo præffet, pro-  
 ximusque Principibus moderaretur rerum arbitria.  
 Non minoris ducendum, quod idem dignissimus om-  
 nium visus mox est, qui vitæ thalami que consorti, pro  
 Principe filio impetrandæ, allegaretur in Variscos, pari  
 amplitudine muneris, & felicitate successus. Hæc  
 enim est, quæ foederata in præsens Patriæ Patri sanctis-  
 simis vinculis, gemellum edidit fidus: quorum alte-  
 rum in vota tutelamque Patriæ majus quotidie clarius-  
 que induit jubar: alterum ingentes alienis populis  
 spes candidioris astri felicibus radiis ominatur ac alit.  
 Sed hæc à Divo Patre data sunt: quid nunc de Filio  
 maximo memorem? Qui, in quo fastigio ipsi primus  
 nascentis imperii FRISIUM obtulit dies, in eo & con-  
 firmavit, tanta ejus dignatione, ut non tam retinuisse  
 pro copia, quam ipsa ex copia videretur optasse. In-  
 jurius propè in optimum Principem videbor, nisi red-  
 didero testimonium, quod ipse defuncto FRISIO ul-  
 trò reddidit. Non ita diu est, cum celebraretur so-  
 lenne convivium, admotis principali mensæ amicis  
 plerisque, & qui illustria aulæ decora darent. Hic in-  
 ter alios sermones de ministeriis summis cum mentio-  
 nem ipse movisset Princeps, memorabili elogio, *deco-  
 rum obsequium FRISII, singularem industriam, &  
 sapientiam cum fide pari conjunctam* commendavit;  
*non infelicem se fore dictitans, si talibus amicis &  
 adiutoribus deinceps semper inniteretur.* Felicem  
 FRISIUM cui hic tantus contigit præco! Et  
 pium ac liberalem Principis animum, qui tam  
 M 3 ple-



plenum ministro egregio testimonium atque tam candidè impertitus est! Sæpè enim altissimas mentes quidam obsidet livor, ut, si non obtrectent, suorum virtutes, dissimulent tamen, atque transmittant silentio, ne satis præsidii habere videantur in suis, dum alienas attollunt. Propria atque perpetua maneat hæc nostro Principi laus, ut de amicis suis verè atque simpliciter judicet; nec eligat alios, quàm quos possit laudare. Sed apud ipsos Principes cum tantum existimationis sibi comparaverit FRISIUS, quid apud cæteros consecutum putabimus? Sequimur enim libenter regnantium judicia, quod aliquid sancti atque divini creduntur habere, & quicquid Principibus placuit, decretum cæteri atque præceptum interpretamur. Quis ergò non ultrò colat ac veneretur, quem admirari Principem ac observare intelligat? Reperiuntur haud rarò, qui quantum tribuunt aliis, tantum existimationis suæ decedere putent: & dum auctoritati propriæ nimis advigilant, insidientur alterius. Neque enim ingenium iis machinæque deesse solent, quas aut adversus eos instruant clanculum, quos intuentur obliquè; aut iisdem palàm admoveant, si possint deicere, & per illorum contumelias, cultum ac reverentiam sui augere. Non hoc integritati suæ pudori que existimabat convenire HENRICUS; nihil eximium circa se ac amplum statuens, quod non virtuti & honestissimis artibus deberet. Quam itaque sua ipsi auctoritas chara erat ac curæ, tam aliorum quoque tueri studebat: & major cæteris cum esset, nullius deminutione tamen esse optabat. Quin comiter singulos prosequi, ad incrementum reverentiæ interpretabatur. Quis enim non magnificere vellet ac colere, à quo non negligi se  
ac



ac vilem haberi sentiat? Illos etiam invenias, qui ab  
 Servorum nitentium turbâ, à pædagogis decentissimè  
 cultis, à rerum omnium apparatu lautissimo auctorita-  
 tem expectent. Hi illi fermè sunt, qui aliarum rerum  
 vacui, aut malè ab iis parati, ad hæc externa confugiunt,  
 & vana quædam magnitudinis simulacra imperito vul-  
 go obtrudunt. Non ignorabat FRISIUS, viros in-  
 gentes inanum etiam specie validos esse debere: & a-  
 lienum excellenti virtute, amare sordes, nullaque mun-  
 ditiâ ac elegantiâ capi; sed inter utrumque servans  
 modi, quantum ab luxu inutilique instrumento pom-  
 parum aberat, tantum ab vilitate etiam humili, & inde-  
 corâ parsimoniâ divertebat. Hôc ipso venerabilior,  
 quod tueretur dignitatem, non ostentaret: & amplis-  
 simarum curarum splendorem in sui jactantiam non  
 pateretur corrumpi. Sed hæcenus virtutis & benè  
 compositæ mentis opera laudata sint; commemoran-  
 da deinceps felicitatis munera sunt, ex quâ nonnulli  
 nasci cum primis auctoritatem, neque vanissimè, existi-  
 marunt. Illam enim quid aliud, quam singulare  
 quoddam Summi Numinis datum appellabimus, quod  
 iis impertire maximè solet, quos familiarius amat? At  
 verò quis dubitet, tantò quemque coli ac suspici magis,  
 quo charior ipse amicioque Deo æstimetur? Tanta  
 autem perpetuo FRISIUM comitata felicitas est, ut  
 inter rarissima ejus exempla mereatur referri. Non  
 dicam de amplitudine generis: quam sibi cum pluri-  
 bus habuit communem: neque de opibus, quæ sæpè ad  
 pravos perveniunt: at illud haud parvum est, quod ex  
 Equestri loco ad *Baronatus* apicē, & ex paternis prædiis  
 per varia decora in summum togæ ascēdit culmen. Non  
 id solius industriæ virtutisque fuit: egit fortuna partes



unà, non temeraria illa ac cæca; sed quæ Græcorum sapientissimo Vati, *Providentia filia* appellatur: hoc est, fatum, seu dispensatio DEI benignior, unde terrarum orbis conservatio pendet. Quid nunc de matrimonio referam, in quo, incertum habeo, quid mirer primum, aut quid postremo prædicem? Contigit ei CATHARINA EINSIDELIA uxor: quæ lux & gloria foeminarum? In qua hinc splendor natalium, hinc maximarum virtutum æmulum lumen radiabat. Hinc estimabatur decora modulatissimi corporis facies; hinc forma animi excellere pulchritudines omnes videbatur. Convixerunt pene octo & quinquaginta annis (quam novum hoc prorsus, & inauditum hætenus?) nec tanto spatio invenit alter in altero, quod quereretur. Ita quippe amarunt & venerati invicem semper sunt, ut, qui non esset conjuges; sanctissimum fratris sororisque contubernium putaret. Auxit felicitatem istam fecunditatis ubertas, & nati liberi, & ex his rursus nepotum turba. Sed in hac parte advertit me maximè, geminum filiorum sidus, HENRICI, inquam, & CAROLI: ad quorum nudam commemorationem si mihi oratio vix suppetit; deficere penitus atque succumbere eam statim necesse erit tentanti incredibiles illorum ac varias laudes? Et patri ipsi, quid amplioribus votis hinc reliquum videbatur loci, cum in eodem ipsos virtutum meritis sedere se juxta fastigio jam pridem videret? L. Metellum literarum memoriæ, præter magistratus summos, quos gesserat, & magnificentissimos ex victis hostibus triumphos, bellatorem primum, Oratorem optimum, fortissimum Imperatorem fuisse, prædicant. Quintum etiam, filium ejus, inter rara felicitatis humanæ exempla

pla



pla numeratum, quod & consecutus honores amplissimos, & ex devictâ Macedoniâ novum in posteros transmisisset nomen; à quatuor filiis denique, uno Prætor, tribus consularibus, duobus triumphalibus, & uno censorio, rogo esset illatus. Magna utriusque felicitas, sed non perpetua ac constans fuis. Nam ille orbatus oculorum luminibus, senectam miseram exegit in tenebris; & hic in medio dignationis flore de rupe Tarpeja pene actus præceps, reliquum vitæ obnoxius alieno beneficio, & bonis suis multatus, ita duxit, ut neque infelicissimis dici posset, & felix tamen non haberetur. Adeo semper fortuna haud paucos frustratur malignè, & quos fovere diutius visa, defatigata velut, aut quasi tæderet, tandem relinquit. Non hunc crudelem ludum illa in nostro lusit: favit constanter, & ut quandoque se videretur subducere, non recessit tamen; paullulum saltem abdidit se, & mox emicuit rursus, ac pristini oris ostendit lætitiā, solatura veluti quos ipsa mœrores fecerat. Jam si arboribus ac ædificiis religionem quandam & sanctitatem senectus quasi scenerat; qui in hominibus illa non faciet; cujus cultus ac reverentia omnium prope gentium dedicata consensu? Multi morantur in vita, & ad longinquos annos perveniunt, ut fracti defectique ætate inutiles jaceant, atque cum mori non possint, non ullum tamen vitæ fructum aut carpant sibi, aut aliis præbeant. Cum, tanquam improbus scenarator, natura supra caput astat, creditique usuram acerbè exigens, nunc visum, nunc sensum aurium, nunc alia denique effatis extorquet. Et ut non adimat semper hæc, parcendo tamen nonnunquam gravius sævit: dum ita non paucos affigit lecto, ac

M s

deti-



derinet, ut non nisi possit multa tormenta & acutissimas cruces vitâ absolvat. Nihil huiusmodi FRISIO accidit: & grandis quantumlibet senex, nihil senile tamen est passus, ad valetudinem novissimam viridis: quæ neque ipsa eum exercuit diu, & mora afflixit, ut feliciorem efficeret. Tentabatur laboribus calculi: sed brevi convaluit levatus. Insequenti die adiit templum, ut Christiano ritu quotidianorum errorum culpis exsolveretur. Reversus domum dum vacat DEO, gravari destillationibus subitis cepit: unde tussis & calor aliquis, sed qui post paullò intenderetur. Cum neque medentium opibus, neque nocturna quiete mitigaretur malum; quin ingravesceret potius, accersendus summo mane sacerdos fuit, qui gratiam Sacramenti impertiretur. Recreatus salutiferâ dape meliorem præbere visus est spem: eaque se dabant signa, quæ non pessima sane ominarentur. Sed altera luce, cum inclinaret in meridiem mane, conversa adeò rerum est facies ut mox sub vespere lucis, inter sermones sacros, quos cum religiosissimis sacrorum, qui aderant, præsidibus habebat, & bene precantium vota, acquiesceret. Octavius Cæsar, quem ob collata in Remp. maxima merita AUGUSTUM Populi principis appellavit Senatus, ut jamdum, cum adhuc coleret terras, nomine ipso tituloque consecraretur, quoties aliquem cito & sine cruciatu defunctum audiret, similem sibi precabatur exitum, & impetravit id fato suo; ne, si istius voti non potiretur, non felicissimus principum audiret apud posteros, qui consecutus summa omnia aliàs esset. Ut magnitudine atque fortunâ major Augustus fuerit; hac parte tamen felicitatis FRISIUS ei nihil concedit, qui æquè levi ac facili, molestia-



lestiaque vacuo obitu finitus est. Quin accuratius subducta summa vincet terrarum orbis Principem FRISIUS, & major ætate, & ipsa felicitate superior. Omnis cum vita Augusti exspiravit ac desiit felicitas: FRISII transit, non finienda, sed immutanda, atque ex imbecilli & frangili, obnoxiaque casibus sorte, in perfectissimum statum atque æternam stabilitatem ordinanda. Defecit Augustus sexto & septuagesimo ætatis anno; Heros noster, cum unum & octagesimum jam excessisset. Testatum auctoritatibus luculentissimis est, hunc modum vitæ cum Philosophorum apex Plato implevisset moriens, Chaldaeorum magos, qui tum Athenis fortè aderant, id demiratos adeo fuisse, ut immolarint defuncto, tanquam egresso humanæ sortis conditionem, quod perfectissimum numerum absolvisset vivendo. Ego verò, ut in HENRICO divinitatem agnoscam libens, quam, cum humanitatem exueret, indeptus est; ut ad annorum tamen ratiocinium, & novenarios illos completos novem, Chaldaicæ vanitatis applausor, descendam; sed omne illud pietati ejus annumerabo. Hæc est, quæ sola vitam perficit, & complementum addit ultimum, quod felicitatem nostram absolvat. Quæ suo sibi sublatum remigio eò pertulit FRISIUM, ubi nec spes nec metus, qui duo professi quieti animi hostes, acerrimè omnium, mortalium vitam infestant assidue, exercent amplius fatigantque: non casus ullus atque calamitas ingruit, sed secunda, quieta, tranquillaque omnia, & talis omnino status est, qui summi Numinis, eorumque proprius est, quos illa suprema ac perfectissima mens divinitatis ac beatitudinis suæ, gratu secundo tamen, fecit participes. Quorum triumphans

cho-



choris permistus HENRICUS humanâ forma nunc major incedit, & lætus lætitiis, quas nulla capit mortalitas, ævum sempiternum agit & nullo fine terminandum. Dicat aliquis; quid hoc ad Cancellarii aut Senatoris adeò munus? Ut bene & cum spe optimâ moriamur, cujusq; fidelium studiumque ac votum. Atque id consequi, felicitatis quidem est; sed sibi quam nemo conficere ipsemet potest; divinæ gratiæ munus est. Jam in commune felicitatem quid hîc commemoras? Omne præsidium honoris munerisque tuendi intra nos ipsos quærendum est: cum præstas tantum, quantum contendere tuis opibus possis, jam absolvisti partes impositas, & implevisti officii titulum. Quod reliquum est, id tuum non est, & aliunde expectandum. Ego verò respondeo, dicendum mihi de auctoritate fuisse, necessario instrumento magni ministri Principis; & quid ni de felicitate igitur, quæ ingens momentum ad eam confert? Jam, cum Solonem si audiemus, neminem ante obitum fataque suprema deprædicare felicem oporteat, non dissimulandum in felicitate FRISIANA tempus illud fuit, quod suum felicitati nomen verè plenissimeque vindicat; ac nihil amplius relinquit boni, quod capere possit jam consummata felicitas. Quod si principem Oratorem nemo arguit hætenus, quod summum belli Ducem cum vellet formare, post militarem scientiam, post fortitudinem atque auctoritatem, felicitatem in eo etiam inesse voluit; egone dignus reprehensione videbor, qui eam in Senatore ac Cancellario non prætermiserim tacitam? Non virtus armorum tantum, sed consiliorum sapientia quoque suâ fortuna indiget. Et reperire inter deliberationum ardua, quod & con-  
ducatur




ducat in præsens maximè, & prosperè expetat, non sapientum tantum, sed & feliciū, hoc est, illorum opus est, quos favor Numinis benigniùs afflat. Assolent fermè peroraturi hujusmodi causas movere, partim sedare: elicere juxta, ac detergere lacrimas: cumque lugendi pio defuncti munere sunt, amica afferre solatia. Seqvar & ego hanc disciplinam, emensisque jam spatiis, quæ mihi met, ipsi signavi, sufflaminabo ad metam, & in iisdem partibus orationem meam consistam. Ac in HEROA quidem nostrum, quando intueor, & quicquid aut vixit in terris ante, aut aut nunc receptus cœlo vivit, reputo mecum, ac penitatione tacitâ æstimo, non ille lamentis ac planctibus; veneratione & cultu, & gratulationum faustis est prosequendus. Nam quid in illo lugeri conveniet, qui & implevit vera bona, quæ in virtutibus sita sunt; & abundavit cæteris, quæ magnitudinem adjuvant, felicitatem perficiunt? Qui ævi maturus, & grandi natu; qui integrâ gloriâ, florente famâ, dignitatibus salvis, quibus vix amplius aliquid aut majus fortunâ potuisset austruere, obiit diem, & ita obiit, ut hanc mortalem stationem, cum immortalī ac planè divinâ commutaret? Sed cum in Principem reflecto oculos, quem ille ministrum desiderat; Si patriam cogito, quo illa præsidio & fulcro, & ornamento ac decore, orbata est? Cum studia nostra respicio ac Musas, heu, quando fautorem patronumque & tutelarem quasi talem, rursus invenient? Incerta admodum futurorum spes est: & angit semper, quod expectatur. Quæ prendimus tenemusque manu, solantur ac erigunt quam vacuum spatium fiduciam præbet? Hæc tanta igitur clades, quas non excutiet lacrimas? Hæc tanta jactura,



ctura, quibus non quæstibus ac desideriis sufficiet causam? Sed bene habet: non rarò fallitur dolor, sibi uni attendens: & dum in vulnere suo tantùm oculos tenet, quæ in propinquo solatia affunt, haud respicit. Non omnis exstinctus FRISIUS est: multa pars ejus superat, seque eripuit funeri: & quantum auxilii ac levamenti in Natis Illustribus reliquum mansit? Hoc illud geminum sidus est, quod æquè salutare ac prosperum nobis in æstu hoc laborantibus, allucet omen; ac deprehensis in mari magno jactatisque navibus stellæ Castorum solent. Qui cum heredes, ut cæterorum bonorum, ita in primis animi virtutisque paternæ sint, æmulique felices, non volent non adesse necessitatibus publicisque ac nostris: & in eodem fastigio positi, quo Pater eminuit, non efficere etiam, si quæ benignè voluerint. Sic, si non ponamus rectè calculum, nihil in Patre præter umbram ac superficiem nobis ademtum videbitur.

D I X I.



ORA.





## ORATIO DECIMA.

ILLVSTRI VIRO,  
FRIDERICO METSCHIO,  
IN REICHENBACH ET  
FRISEN, ETC.

S. ROM. IMP. THESAURARIO  
ET SERENISS. ELECTORIS SAXONIÆ A  
CONSILIIS SANCTIORIBUS, NEC NON  
IN SUPREMO ECCLESIASTICO SE-  
NATU PRÆSIDI, ETC.

Dicta A. cl2. 12c. LVl.

**G**Rande ambiguumque suscepi negotium,  
de Viro Illustri, FRIDERICO MET-  
SCHIO, dicere in præsentì ingressus. Ac  
ita dicere, ut & erepti defleam cladem (cui  
quæ lacrimæ satis sunt) & merita virtutesque adhuc su-  
perstitas celebrem, quæ exemplum vix habent. Utrum-  
que majus molientis viribus est: qui nec ingenio un-  
quam valui, & nunc ætate quoque deficio. Nimi-  
rum & animos, non corpora tantum, senectus debi-  
litat: quæ lacertorum cum hebetaverit nervos, frigus  
& menti insinuat. Quid faciam igitur AUDITO-  
RES? Fatebor vobis infirmitatem meam: ma-  
gnitudo affectus mihi imposuit. Nam dum religio-  
ni duco, non solvere mortuo, quod viventi addixe-  
ram, sumsi imprudens partes, quas implere non pos-  
sem. Nec quisquam, & sibi satis consuluit, & vehe-  
men-



menter amavit. Intelligo quidem errorem meum, ferius tamen: & sentio mihi venire usu, quod contrahentibus debita quandoque solet: qui cum de facultatibus suis amplius sperant, quam in iis est, de accepta summa amplissimis verbis liberaliter cavent. Cum venit dies, & iurget creditor, & fidem nomenque expungi postulat, tum vident demum, facilius accipi, quam solvi pecuniam. Intenti & anxii igitur perreptant domum, scrutantur arculas, excutiunt fiscos, quid representari denique liceat, sollicitè putant. Hinc creditorem adeunt, dexteram ejus præhensant blandè, corrasam summulam humiliter offerunt, exquisitissimis verbis orantes, accipiat interim, ac consulat bene, quod est in manu, cum totum ac solidum numerare præsentis copiarum haud sit. Mihi peræque à vobis, AUDITORES, inprimis à beatissimis METSCHII manibus impetranda venia est, quod minore judicio, quam impetu, conscendi cathedram, de illo facturus verba, cui plurima quidem, & infinita propemodum, debeam; sed qui quantumque fuerit, dicere, nec florentissima ac disertissima ingenia queant. Sed quia relinquere partes, integrum haud est: & sine dedecore silere, non licet; permittenda vela ventis, solutaque ora capeffenda est spes, si laudem dicendo non emeruero, professione obsequii tamen ac pietatis favorem me vestrum exoraturum. Quamquam quod quisque nostrum est, & quo censetur homines maximè, id disciplina nobis maximè ac institutio conferat; tamen ut in arboribus, plurimum refert, qua terra, quo furculo creverint; ita in nobis ad temperandam indolem haud parum interest, ubi, & unde quis fuerit natus. Patriam itaque nostro, Narisci



risci veterum, sive, ut appellari hodie, non tamen ignoto plane antiquis vocabulo, solent, Varisci dederunt. Inclita gens, & Græcis Romanisque ingeniis celebrata. Cujus qui vigor, quæ virtus fuerit, hinc disci potest, quod Tacitus, eloquentiæ fideique præclarus, nihil degenerare *Marcomanorum* gloriâ scribit, quos nulla Germanorum gens excellentiâ rerum gestarum, & opum imperiique amplitudine supra fuit. Hi enim Marcomanni illi sunt, qui Gallis Helvetiis ademerunt sedes, qui Galliam omnem Celticam prope subegerunt armis: mox, recedentes interioribus, fertilissimos illos Hercyniæ campos, depulsis Bojis, gente Callica, qui occupaverant hactenus, & ab se Bojohemum loco fecerant nomen, infederunt, omnesque finitimos aut domuerunt bello, aut conditionibus juris sui fecerunt: eò progressi magnitudinis denique, ut æmuli victoriarum gentium populo, justum timorem Romanis injecerint. His non degenerasse Nariscos; cum prodit Tacitus, quam laudem illis, quod decus impertit? Profectò hoc majus multò ac excellentius est, quam fabularum tormentis quos nescio Drulos arcessere Româ, & aliunde emendicare famam genti, quam domi habet. Si eò unquam Drusi progressi armis fuerunt, quid aliud, quàm servitutem ac jugum inclito populo imposuerunt? Atqui miserrimum est, ex calamitate captare laudem: & nobilitatem victoris miseriæ suæ interpretari solatium. Nec quisquam eorum, qui Romanorum res gestas composuerunt, huc processisse ullum Drusorum, memoriæ unquam prodidit. Gratulandum itaque genti clarissimæ de tantâ nobilitate virtuteque est, quam neque dum decoxit, aut perdidit, nisi quod recentiorum temporum

N

porum



porum humanitate cultior, ad omnem artium atque Musarum elegantiam ita imbuit vividam indolem, ut simul fortissimos milites, & capacissimos literarum ac sapientiæ animos creet. Qualem & aspiravit MET. SCHIO, cum Reichenbachii, municipio avito, ante hos senos & septuaginta annos admodum, patre ABRAHAMO, qui abundantia patrimonii tranquillissime lenoit, equestri loco contentus; matre, CATHARINA SCHONBERGIA, ingentis exempli <sup>\* D.</sup> <sup>VIII</sup> <sup>De-</sup> <sup>cēbr.</sup> <sup>An.</sup> <sup>cl.</sup> <sup>79.</sup> <sup>12</sup> <sup>13</sup> <sup>14</sup> <sup>15</sup> <sup>16</sup> <sup>17</sup> <sup>18</sup> <sup>19</sup> <sup>20</sup> <sup>21</sup> <sup>22</sup> <sup>23</sup> <sup>24</sup> <sup>25</sup> <sup>26</sup> <sup>27</sup> <sup>28</sup> <sup>29</sup> <sup>30</sup> <sup>31</sup> <sup>32</sup> <sup>33</sup> <sup>34</sup> <sup>35</sup> <sup>36</sup> <sup>37</sup> <sup>38</sup> <sup>39</sup> <sup>40</sup> <sup>41</sup> <sup>42</sup> <sup>43</sup> <sup>44</sup> <sup>45</sup> <sup>46</sup> <sup>47</sup> <sup>48</sup> <sup>49</sup> <sup>50</sup> <sup>51</sup> <sup>52</sup> <sup>53</sup> <sup>54</sup> <sup>55</sup> <sup>56</sup> <sup>57</sup> <sup>58</sup> <sup>59</sup> <sup>60</sup> <sup>61</sup> <sup>62</sup> <sup>63</sup> <sup>64</sup> <sup>65</sup> <sup>66</sup> <sup>67</sup> <sup>68</sup> <sup>69</sup> <sup>70</sup> <sup>71</sup> <sup>72</sup> <sup>73</sup> <sup>74</sup> <sup>75</sup> <sup>76</sup> <sup>77</sup> <sup>78</sup> <sup>79</sup> <sup>80</sup> <sup>81</sup> <sup>82</sup> <sup>83</sup> <sup>84</sup> <sup>85</sup> <sup>86</sup> <sup>87</sup> <sup>88</sup> <sup>89</sup> <sup>90</sup> <sup>91</sup> <sup>92</sup> <sup>93</sup> <sup>94</sup> <sup>95</sup> <sup>96</sup> <sup>97</sup> <sup>98</sup> <sup>99</sup> <sup>100</sup> <sup>101</sup> <sup>102</sup> <sup>103</sup> <sup>104</sup> <sup>105</sup> <sup>106</sup> <sup>107</sup> <sup>108</sup> <sup>109</sup> <sup>110</sup> <sup>111</sup> <sup>112</sup> <sup>113</sup> <sup>114</sup> <sup>115</sup> <sup>116</sup> <sup>117</sup> <sup>118</sup> <sup>119</sup> <sup>120</sup> <sup>121</sup> <sup>122</sup> <sup>123</sup> <sup>124</sup> <sup>125</sup> <sup>126</sup> <sup>127</sup> <sup>128</sup> <sup>129</sup> <sup>130</sup> <sup>131</sup> <sup>132</sup> <sup>133</sup> <sup>134</sup> <sup>135</sup> <sup>136</sup> <sup>137</sup> <sup>138</sup> <sup>139</sup> <sup>140</sup> <sup>141</sup> <sup>142</sup> <sup>143</sup> <sup>144</sup> <sup>145</sup> <sup>146</sup> <sup>147</sup> <sup>148</sup> <sup>149</sup> <sup>150</sup> <sup>151</sup> <sup>152</sup> <sup>153</sup> <sup>154</sup> <sup>155</sup> <sup>156</sup> <sup>157</sup> <sup>158</sup> <sup>159</sup> <sup>160</sup> <sup>161</sup> <sup>162</sup> <sup>163</sup> <sup>164</sup> <sup>165</sup> <sup>166</sup> <sup>167</sup> <sup>168</sup> <sup>169</sup> <sup>170</sup> <sup>171</sup> <sup>172</sup> <sup>173</sup> <sup>174</sup> <sup>175</sup> <sup>176</sup> <sup>177</sup> <sup>178</sup> <sup>179</sup> <sup>180</sup> <sup>181</sup> <sup>182</sup> <sup>183</sup> <sup>184</sup> <sup>185</sup> <sup>186</sup> <sup>187</sup> <sup>188</sup> <sup>189</sup> <sup>190</sup> <sup>191</sup> <sup>192</sup> <sup>193</sup> <sup>194</sup> <sup>195</sup> <sup>196</sup> <sup>197</sup> <sup>198</sup> <sup>199</sup> <sup>200</sup> <sup>201</sup> <sup>202</sup> <sup>203</sup> <sup>204</sup> <sup>205</sup> <sup>206</sup> <sup>207</sup> <sup>208</sup> <sup>209</sup> <sup>210</sup> <sup>211</sup> <sup>212</sup> <sup>213</sup> <sup>214</sup> <sup>215</sup> <sup>216</sup> <sup>217</sup> <sup>218</sup> <sup>219</sup> <sup>220</sup> <sup>221</sup> <sup>222</sup> <sup>223</sup> <sup>224</sup> <sup>225</sup> <sup>226</sup> <sup>227</sup> <sup>228</sup> <sup>229</sup> <sup>230</sup> <sup>231</sup> <sup>232</sup> <sup>233</sup> <sup>234</sup> <sup>235</sup> <sup>236</sup> <sup>237</sup> <sup>238</sup> <sup>239</sup> <sup>240</sup> <sup>241</sup> <sup>242</sup> <sup>243</sup> <sup>244</sup> <sup>245</sup> <sup>246</sup> <sup>247</sup> <sup>248</sup> <sup>249</sup> <sup>250</sup> <sup>251</sup> <sup>252</sup> <sup>253</sup> <sup>254</sup> <sup>255</sup> <sup>256</sup> <sup>257</sup> <sup>258</sup> <sup>259</sup> <sup>260</sup> <sup>261</sup> <sup>262</sup> <sup>263</sup> <sup>264</sup> <sup>265</sup> <sup>266</sup> <sup>267</sup> <sup>268</sup> <sup>269</sup> <sup>270</sup> <sup>271</sup> <sup>272</sup> <sup>273</sup> <sup>274</sup> <sup>275</sup> <sup>276</sup> <sup>277</sup> <sup>278</sup> <sup>279</sup> <sup>280</sup> <sup>281</sup> <sup>282</sup> <sup>283</sup> <sup>284</sup> <sup>285</sup> <sup>286</sup> <sup>287</sup> <sup>288</sup> <sup>289</sup> <sup>290</sup> <sup>291</sup> <sup>292</sup> <sup>293</sup> <sup>294</sup> <sup>295</sup> <sup>296</sup> <sup>297</sup> <sup>298</sup> <sup>299</sup> <sup>300</sup> <sup>301</sup> <sup>302</sup> <sup>303</sup> <sup>304</sup> <sup>305</sup> <sup>306</sup> <sup>307</sup> <sup>308</sup> <sup>309</sup> <sup>310</sup> <sup>311</sup> <sup>312</sup> <sup>313</sup> <sup>314</sup> <sup>315</sup> <sup>316</sup> <sup>317</sup> <sup>318</sup> <sup>319</sup> <sup>320</sup> <sup>321</sup> <sup>322</sup> <sup>323</sup> <sup>324</sup> <sup>325</sup> <sup>326</sup> <sup>327</sup> <sup>328</sup> <sup>329</sup> <sup>330</sup> <sup>331</sup> <sup>332</sup> <sup>333</sup> <sup>334</sup> <sup>335</sup> <sup>336</sup> <sup>337</sup> <sup>338</sup> <sup>339</sup> <sup>340</sup> <sup>341</sup> <sup>342</sup> <sup>343</sup> <sup>344</sup> <sup>345</sup> <sup>346</sup> <sup>347</sup> <sup>348</sup> <sup>349</sup> <sup>350</sup> <sup>351</sup> <sup>352</sup> <sup>353</sup> <sup>354</sup> <sup>355</sup> <sup>356</sup> <sup>357</sup> <sup>358</sup> <sup>359</sup> <sup>360</sup> <sup>361</sup> <sup>362</sup> <sup>363</sup> <sup>364</sup> <sup>365</sup> <sup>366</sup> <sup>367</sup> <sup>368</sup> <sup>369</sup> <sup>370</sup> <sup>371</sup> <sup>372</sup> <sup>373</sup> <sup>374</sup> <sup>375</sup> <sup>376</sup> <sup>377</sup> <sup>378</sup> <sup>379</sup> <sup>380</sup> <sup>381</sup> <sup>382</sup> <sup>383</sup> <sup>384</sup> <sup>385</sup> <sup>386</sup> <sup>387</sup> <sup>388</sup> <sup>389</sup> <sup>390</sup> <sup>391</sup> <sup>392</sup> <sup>393</sup> <sup>394</sup> <sup>395</sup> <sup>396</sup> <sup>397</sup> <sup>398</sup> <sup>399</sup> <sup>400</sup> <sup>401</sup> <sup>402</sup> <sup>403</sup> <sup>404</sup> <sup>405</sup> <sup>406</sup> <sup>407</sup> <sup>408</sup> <sup>409</sup> <sup>410</sup> <sup>411</sup> <sup>412</sup> <sup>413</sup> <sup>414</sup> <sup>415</sup> <sup>416</sup> <sup>417</sup> <sup>418</sup> <sup>419</sup> <sup>420</sup> <sup>421</sup> <sup>422</sup> <sup>423</sup> <sup>424</sup> <sup>425</sup> <sup>426</sup> <sup>427</sup> <sup>428</sup> <sup>429</sup> <sup>430</sup> <sup>431</sup> <sup>432</sup> <sup>433</sup> <sup>434</sup> <sup>435</sup> <sup>436</sup> <sup>437</sup> <sup>438</sup> <sup>439</sup> <sup>440</sup> <sup>441</sup> <sup>442</sup> <sup>443</sup> <sup>444</sup> <sup>445</sup> <sup>446</sup> <sup>447</sup> <sup>448</sup> <sup>449</sup> <sup>450</sup> <sup>451</sup> <sup>452</sup> <sup>453</sup> <sup>454</sup> <sup>455</sup> <sup>456</sup> <sup>457</sup> <sup>458</sup> <sup>459</sup> <sup>460</sup> <sup>461</sup> <sup>462</sup> <sup>463</sup> <sup>464</sup> <sup>465</sup> <sup>466</sup> <sup>467</sup> <sup>468</sup> <sup>469</sup> <sup>470</sup> <sup>471</sup> <sup>472</sup> <sup>473</sup> <sup>474</sup> <sup>475</sup> <sup>476</sup> <sup>477</sup> <sup>478</sup> <sup>479</sup> <sup>480</sup> <sup>481</sup> <sup>482</sup> <sup>483</sup> <sup>484</sup> <sup>485</sup> <sup>486</sup> <sup>487</sup> <sup>488</sup> <sup>489</sup> <sup>490</sup> <sup>491</sup> <sup>492</sup> <sup>493</sup> <sup>494</sup> <sup>495</sup> <sup>496</sup> <sup>497</sup> <sup>498</sup> <sup>499</sup> <sup>500</sup> <sup>501</sup> <sup>502</sup> <sup>503</sup> <sup>504</sup> <sup>505</sup> <sup>506</sup> <sup>507</sup> <sup>508</sup> <sup>509</sup> <sup>510</sup> <sup>511</sup> <sup>512</sup> <sup>513</sup> <sup>514</sup> <sup>515</sup> <sup>516</sup> <sup>517</sup> <sup>518</sup> <sup>519</sup> <sup>520</sup> <sup>521</sup> <sup>522</sup> <sup>523</sup> <sup>524</sup> <sup>525</sup> <sup>526</sup> <sup>527</sup> <sup>528</sup> <sup>529</sup> <sup>530</sup> <sup>531</sup> <sup>532</sup> <sup>533</sup> <sup>534</sup> <sup>535</sup> <sup>536</sup> <sup>537</sup> <sup>538</sup> <sup>539</sup> <sup>540</sup> <sup>541</sup> <sup>542</sup> <sup>543</sup> <sup>544</sup> <sup>545</sup> <sup>546</sup> <sup>547</sup> <sup>548</sup> <sup>549</sup> <sup>550</sup> <sup>551</sup> <sup>552</sup> <sup>553</sup> <sup>554</sup> <sup>555</sup> <sup>556</sup> <sup>557</sup> <sup>558</sup> <sup>559</sup> <sup>560</sup> <sup>561</sup> <sup>562</sup> <sup>563</sup> <sup>564</sup> <sup>565</sup> <sup>566</sup> <sup>567</sup> <sup>568</sup> <sup>569</sup> <sup>570</sup> <sup>571</sup> <sup>572</sup> <sup>573</sup> <sup>574</sup> <sup>575</sup> <sup>576</sup> <sup>577</sup> <sup>578</sup> <sup>579</sup> <sup>580</sup> <sup>581</sup> <sup>582</sup> <sup>583</sup> <sup>584</sup> <sup>585</sup> <sup>586</sup> <sup>587</sup> <sup>588</sup> <sup>589</sup> <sup>590</sup> <sup>591</sup> <sup>592</sup> <sup>593</sup> <sup>594</sup> <sup>595</sup> <sup>596</sup> <sup>597</sup> <sup>598</sup> <sup>599</sup> <sup>600</sup> <sup>601</sup> <sup>602</sup> <sup>603</sup> <sup>604</sup> <sup>605</sup> <sup>606</sup> <sup>607</sup> <sup>608</sup> <sup>609</sup> <sup>610</sup> <sup>611</sup> <sup>612</sup> <sup>613</sup> <sup>614</sup> <sup>615</sup> <sup>616</sup> <sup>617</sup> <sup>618</sup> <sup>619</sup> <sup>620</sup> <sup>621</sup> <sup>622</sup> <sup>623</sup> <sup>624</sup> <sup>625</sup> <sup>626</sup> <sup>627</sup> <sup>628</sup> <sup>629</sup> <sup>630</sup> <sup>631</sup> <sup>632</sup> <sup>633</sup> <sup>634</sup> <sup>635</sup> <sup>636</sup> <sup>637</sup> <sup>638</sup> <sup>639</sup> <sup>640</sup> <sup>641</sup> <sup>642</sup> <sup>643</sup> <sup>644</sup> <sup>645</sup> <sup>646</sup> <sup>647</sup> <sup>648</sup> <sup>649</sup> <sup>650</sup> <sup>651</sup> <sup>652</sup> <sup>653</sup> <sup>654</sup> <sup>655</sup> <sup>656</sup> <sup>657</sup> <sup>658</sup> <sup>659</sup> <sup>660</sup> <sup>661</sup> <sup>662</sup> <sup>663</sup> <sup>664</sup> <sup>665</sup> <sup>666</sup> <sup>667</sup> <sup>668</sup> <sup>669</sup> <sup>670</sup> <sup>671</sup> <sup>672</sup> <sup>673</sup> <sup>674</sup> <sup>675</sup> <sup>676</sup> <sup>677</sup> <sup>678</sup> <sup>679</sup> <sup>680</sup> <sup>681</sup> <sup>682</sup> <sup>683</sup> <sup>684</sup> <sup>685</sup> <sup>686</sup> <sup>687</sup> <sup>688</sup> <sup>689</sup> <sup>690</sup> <sup>691</sup> <sup>692</sup> <sup>693</sup> <sup>694</sup> <sup>695</sup> <sup>696</sup> <sup>697</sup> <sup>698</sup> <sup>699</sup> <sup>700</sup> <sup>701</sup> <sup>702</sup> <sup>703</sup> <sup>704</sup> <sup>705</sup> <sup>706</sup> <sup>707</sup> <sup>708</sup> <sup>709</sup> <sup>710</sup> <sup>711</sup> <sup>712</sup> <sup>713</sup> <sup>714</sup> <sup>715</sup> <sup>716</sup> <sup>717</sup> <sup>718</sup> <sup>719</sup> <sup>720</sup> <sup>721</sup> <sup>722</sup> <sup>723</sup> <sup>724</sup> <sup>725</sup> <sup>726</sup> <sup>727</sup> <sup>728</sup> <sup>729</sup> <sup>730</sup> <sup>731</sup> <sup>732</sup> <sup>733</sup> <sup>734</sup> <sup>735</sup> <sup>736</sup> <sup>737</sup> <sup>738</sup> <sup>739</sup> <sup>740</sup> <sup>741</sup> <sup>742</sup> <sup>743</sup> <sup>744</sup> <sup>745</sup> <sup>746</sup> <sup>747</sup> <sup>748</sup> <sup>749</sup> <sup>750</sup> <sup>751</sup> <sup>752</sup> <sup>753</sup> <sup>754</sup> <sup>755</sup> <sup>756</sup> <sup>757</sup> <sup>758</sup> <sup>759</sup> <sup>760</sup> <sup>761</sup> <sup>762</sup> <sup>763</sup> <sup>764</sup> <sup>765</sup> <sup>766</sup> <sup>767</sup> <sup>768</sup> <sup>769</sup> <sup>770</sup> <sup>771</sup> <sup>772</sup> <sup>773</sup> <sup>774</sup> <sup>775</sup> <sup>776</sup> <sup>777</sup> <sup>778</sup> <sup>779</sup> <sup>780</sup> <sup>781</sup> <sup>782</sup> <sup>783</sup> <sup>784</sup> <sup>785</sup> <sup>786</sup> <sup>787</sup> <sup>788</sup> <sup>789</sup> <sup>790</sup> <sup>791</sup> <sup>792</sup> <sup>793</sup> <sup>794</sup> <sup>795</sup> <sup>796</sup> <sup>797</sup> <sup>798</sup> <sup>799</sup> <sup>800</sup> <sup>801</sup> <sup>802</sup> <sup>803</sup> <sup>804</sup> <sup>805</sup> <sup>806</sup> <sup>807</sup> <sup>808</sup> <sup>809</sup> <sup>810</sup> <sup>811</sup> <sup>812</sup> <sup>813</sup> <sup>814</sup> <sup>815</sup> <sup>816</sup> <sup>817</sup> <sup>818</sup> <sup>819</sup> <sup>820</sup> <sup>821</sup> <sup>822</sup> <sup>823</sup> <sup>824</sup> <sup>825</sup> <sup>826</sup> <sup>827</sup> <sup>828</sup> <sup>829</sup> <sup>830</sup> <sup>831</sup> <sup>832</sup> <sup>833</sup> <sup>834</sup> <sup>835</sup> <sup>836</sup> <sup>837</sup> <sup>838</sup> <sup>839</sup> <sup>840</sup> <sup>841</sup> <sup>842</sup> <sup>843</sup> <sup>844</sup> <sup>845</sup> <sup>846</sup> <sup>847</sup> <sup>848</sup> <sup>849</sup> <sup>850</sup> <sup>851</sup> <sup>852</sup> <sup>853</sup> <sup>854</sup> <sup>855</sup> <sup>856</sup> <sup>857</sup> <sup>858</sup> <sup>859</sup> <sup>860</sup> <sup>861</sup> <sup>862</sup> <sup>863</sup> <sup>864</sup> <sup>865</sup> <sup>866</sup> <sup>867</sup> <sup>868</sup> <sup>869</sup> <sup>870</sup> <sup>871</sup> <sup>872</sup> <sup>873</sup> <sup>874</sup> <sup>875</sup> <sup>876</sup> <sup>877</sup> <sup>878</sup> <sup>879</sup> <sup>880</sup> <sup>881</sup> <sup>882</sup> <sup>883</sup> <sup>884</sup> <sup>885</sup> <sup>886</sup> <sup>887</sup> <sup>888</sup> <sup>889</sup> <sup>890</sup> <sup>891</sup> <sup>892</sup> <sup>893</sup> <sup>894</sup> <sup>895</sup> <sup>896</sup> <sup>897</sup> <sup>898</sup> <sup>899</sup> <sup>900</sup> <sup>901</sup> <sup>902</sup> <sup>903</sup> <sup>904</sup> <sup>905</sup> <sup>906</sup> <sup>907</sup> <sup>908</sup> <sup>909</sup> <sup>910</sup> <sup>911</sup> <sup>912</sup> <sup>913</sup> <sup>914</sup> <sup>915</sup> <sup>916</sup> <sup>917</sup> <sup>918</sup> <sup>919</sup> <sup>920</sup> <sup>921</sup> <sup>922</sup> <sup>923</sup> <sup>924</sup> <sup>925</sup> <sup>926</sup> <sup>927</sup> <sup>928</sup> <sup>929</sup> <sup>930</sup> <sup>931</sup> <sup>932</sup> <sup>933</sup> <sup>934</sup> <sup>935</sup> <sup>936</sup> <sup>937</sup> <sup>938</sup> <sup>939</sup> <sup>940</sup> <sup>941</sup> <sup>942</sup> <sup>943</sup> <sup>944</sup> <sup>945</sup> <sup>946</sup> <sup>947</sup> <sup>948</sup> <sup>949</sup> <sup>950</sup> <sup>951</sup> <sup>952</sup> <sup>953</sup> <sup>954</sup> <sup>955</sup> <sup>956</sup> <sup>957</sup> <sup>958</sup> <sup>959</sup> <sup>960</sup> <sup>961</sup> <sup>962</sup> <sup>963</sup> <sup>964</sup> <sup>965</sup> <sup>966</sup> <sup>967</sup> <sup>968</sup> <sup>969</sup> <sup>970</sup> <sup>971</sup> <sup>972</sup> <sup>973</sup> <sup>974</sup> <sup>975</sup> <sup>976</sup> <sup>977</sup> <sup>978</sup> <sup>979</sup> <sup>980</sup> <sup>981</sup> <sup>982</sup> <sup>983</sup> <sup>984</sup> <sup>985</sup> <sup>986</sup> <sup>987</sup> <sup>988</sup> <sup>989</sup> <sup>990</sup> <sup>991</sup> <sup>992</sup> <sup>993</sup> <sup>994</sup> <sup>995</sup> <sup>996</sup> <sup>997</sup> <sup>998</sup> <sup>999</sup> <sup>1000</sup> <sup>1001</sup> <sup>1002</sup> <sup>1003</sup> <sup>1004</sup> <sup>1005</sup> <sup>1006</sup> <sup>1007</sup> <sup>1008</sup> <sup>1009</sup> <sup>1010</sup> <sup>1011</sup> <sup>1012</sup> <sup>1013</sup> <sup>1014</sup> <sup>1015</sup> <sup>1016</sup> <sup>1017</sup> <sup>1018</sup> <sup>1019</sup> <sup>1020</sup> <sup>1021</sup> <sup>1022</sup> <sup>1023</sup> <sup>1024</sup> <sup>1025</sup> <sup>1026</sup> <sup>1027</sup> <sup>1028</sup> <sup>1029</sup> <sup>1030</sup> <sup>1031</sup> <sup>1032</sup> <sup>1033</sup> <sup>1034</sup> <sup>1035</sup> <sup>1036</sup> <sup>1037</sup> <sup>1038</sup> <sup>1039</sup> <sup>1040</sup> <sup>1041</sup> <sup>1042</sup> <sup>1043</sup> <sup>1044</sup> <sup>1045</sup> <sup>1046</sup> <sup>1047</sup> <sup>1048</sup> <sup>1049</sup> <sup>1050</sup> <sup>1051</sup> <sup>1052</sup> <sup>1053</sup> <sup>1054</sup> <sup>1055</sup> <sup>1056</sup> <sup>1057</sup> <sup>1058</sup> <sup>1059</sup> <sup>1060</sup> <sup>1061</sup> <sup>1062</sup> <sup>1063</sup> <sup>1064</sup> <sup>1065</sup> <sup>1066</sup> <sup>1067</sup> <sup>1068</sup> <sup>1069</sup> <sup>1070</sup> <sup>1071</sup> <sup>1072</sup> <sup>1073</sup> <sup>1074</sup> <sup>1075</sup> <sup>1076</sup> <sup>1077</sup> <sup>1078</sup> <sup>1079</sup> <sup>1080</sup> <sup>1081</sup> <sup>1082</sup> <sup>1083</sup> <sup>1084</sup> <sup>1085</sup> <sup>1086</sup> <sup>1087</sup> <sup>1088</sup> <sup>1089</sup> <sup>1090</sup> <sup>1091</sup> <sup>1092</sup> <sup>1093</sup> <sup>1094</sup> <sup>1095</sup> <sup>1096</sup> <sup>1097</sup> <sup>1098</sup> <sup>1099</sup> <sup>1100</sup> <sup>1101</sup> <sup>1102</sup> <sup>1103</sup> <sup>1104</sup> <sup>1105</sup> <sup>1106</sup> <sup>1107</sup> <sup>1108</sup> <sup>1109</sup> <sup>1110</sup> <sup>1111</sup> <sup>1112</sup> <sup>1113</sup> <sup>1114</sup> <sup>1115</sup> <sup>1116</sup> <sup>1117</sup> <sup>1118</sup> <sup>1119</sup> <sup>1120</sup> <sup>1121</sup> <sup>1122</sup> <sup>1123</sup> <sup>1124</sup> <sup>1125</sup> <sup>1126</sup> <sup>1127</sup> <sup>1128</sup> <sup>1129</sup> <sup>1130</sup> <sup>1131</sup> <sup>1132</sup> <sup>1133</sup> <sup>1134</sup> <sup>1135</sup> <sup>1136</sup> <sup>1137</sup> <sup>1138</sup> <sup>1139</sup> <sup>1140</sup> <sup>1141</sup> <sup>1142</sup> <sup>1143</sup> <sup>1144</sup> <sup>1145</sup> <sup>1146</sup> <sup>1147</sup> <sup>1148</sup> <sup>1149</sup> <sup>1150</sup> <sup>1151</sup> <sup>1152</sup> <sup>1153</sup> <sup>1154</sup> <sup>1155</sup> <sup>1156</sup> <sup>1157</sup> <sup>1158</sup> <sup>1159</sup> <sup>1160</sup> <sup>1161</sup> <sup>1162</sup> <sup>1163</sup> <sup>1164</sup> <sup>1165</sup> <sup>1166</sup> <sup>1167</sup> <sup>1168</sup> <sup>1169</sup> <sup>1170</sup> <sup>1171</sup> <sup>1172</sup> <sup>1173</sup> <sup>1174</sup> <sup>1175</sup> <sup>1176</sup> <sup>1177</sup> <sup>1178</sup> <sup>1179</sup> <sup>1180</sup> <sup>1181</sup> <sup>1182</sup> <sup>1183</sup> <sup>1184</sup> <sup>1185</sup> <sup>1186</sup> <sup>1187</sup> <sup>1188</sup> <sup>1189</sup> <sup>1190</sup> <sup>1191</sup> <sup>1192</sup> <sup>1193</sup> <sup>1194</sup> <sup>1195</sup> <sup>1196</sup> <sup>1197</sup> <sup>1198</sup> <sup>1199</sup> <sup>1200</sup> <sup>1201</sup> <sup>1202</sup> <sup>1203</sup> <sup>1204</sup> <sup>1205</sup> <sup>1206</sup> <sup>1207</sup> <sup>1208</sup> <sup>1209</sup> <sup>1210</sup> <sup>1211</sup> <sup>1212</sup> <sup>1213</sup> <sup>1214</sup> <sup>1215</sup> <sup>1216</sup> <sup>1217</sup> <sup>1218</sup> <sup>1219</sup> <sup>1220</sup> <sup>1221</sup> <sup>1222</sup> <sup>1223</sup> <sup>1224</sup> <sup>1225</sup> <sup>1226</sup> <sup>1227</sup> <sup>1228</sup> <sup>1229</sup> <sup>1230</sup> <sup>1231</sup> <sup>1232</sup> <sup>1233</sup> <sup>1234</sup> <sup>1235</sup> <sup>1236</sup> <sup>1237</sup> <sup>1238</sup> <sup>1239</sup> <sup>1240</sup> <sup>1241</sup> <sup>1242</sup> <sup>1243</sup> <sup>1244</sup> <sup>1245</sup> <sup>1246</sup> <sup>1247</sup> <sup>1248</sup> <sup>1249</sup> <sup>1250</sup> <sup>1251</sup> <sup>1252</sup> <sup>1253</sup> <sup>1254</sup> <sup>1255</sup> <sup>1256</sup> <sup>1257</sup> <sup>1258</sup> <sup>1259</sup> <sup>1260</sup> <sup>1261</sup> <sup>1262</sup> <sup>1263</sup> <sup>1264</sup> <sup>1265</sup> <sup>1266</sup> <sup>1267</sup> <sup>1268</sup> <sup>1269</sup> <sup>1270</sup> <sup>1271</sup> <sup>1272</sup> <sup>1273</sup> <sup>1274</sup> <sup>1275</sup> <sup>1276</sup> <sup>1277</sup> <sup>1278</sup> <sup>1279</sup> <sup>1280</sup> <sup>1281</sup> <sup>1282</sup> <sup>1283</sup> <sup>1284</sup> <sup>1285</sup> <sup>1286</sup> <sup>1287</sup> <sup>1288</sup> <sup>1289</sup> <sup>1290</sup> <sup>1291</sup> <sup>1292</sup> <sup>1293</sup> <sup>1294</sup> <sup>1295</sup> <sup>1296</sup> <sup>1297</sup> <sup>1298</sup> <sup>1299</sup> <sup>1300</sup> <sup>1301</sup> <sup>1302</sup> <sup>1303</sup> <sup>1304</sup> <sup>1305</sup> <sup>1306</sup> <sup>1307</sup> <sup>1308</sup> <sup>1309</sup> <sup>1310</sup> <sup>1311</sup> <sup>1312</sup> <sup>1313</sup> <sup>1314</sup> <sup>1315</sup> <sup>1316</sup> <sup>1317</sup> <sup>1318</sup> <sup>1319</sup> <sup>1320</sup> <sup>1321</sup> <sup>1322</sup> <sup>1323</sup> <sup>1324</sup> <sup>1325</sup> <sup>1326</sup> <sup>1327</sup> <sup>1328</sup>



tur? Et eâ jam tum tempestate non recens atque novitium hoc dignitatis in eâ gente fuisse decus, probabunt facile leges, quibus sanciti hi ludi & dedicati primum fuerunt. Ludos cum dico, non est, quod Græculum quendam agona aliquis, aut Romanorum Circense ludicrum cogitet. Jocularia hæc sunt, & ludicra verè, vixque virilia satis his comparata. Quantum erat, quæso, per aperta spatia æquoris non absurdè decurrere? Mittere scitè jaculum? Flectere equum currumve & circum agere peritè; & his iisdem recurrere artibus? Agilitatem aliquam vigoremque ostendere poterant, non approbare invictam constantiam atque virtutem. Longè hîc aliud certabatur certamen. Committebantur duo florentes ætate, qui caput pectusque testære, in festis hastis, truncorum instar, & ferro gravi præfixis concurrerent, tanto impetu ac vi, ut alter plerumque, aliquando uterque, non rarò & equi ipsi unâ, velut procellâ ac fulmine strati, provolverentur in terram. Crederes montes, aut Cyclades totidem concurrere; nequè in præliis ac acie explorari severius acriusque ingentis animi posse virtutem. Quare ut magnum atque eximium erat, in hunc admitti campum, patere memini solitum, nisi qui incorruptam majorum nobilitatem, & omni præterea vacuum probro atque dedecore ante iudicibus approbasset vitam; sic multo arduum habebatur atque illustre, cum laude ac gloriâ inde discedere. Sed multò antiquius nomen in testimonium vetustatis citare CAROLUM METSCHIUM possum. Quem in maximo illo prælio, quo Ungarorum ingentes copię ad Martisburgum fugatæ, v. etæ deletæque sunt, HENRICO I. Imp. Aug. cui aucti pii amor cognomen fecit, fortem strenuamque navasse



operam annales canunt. Ulterius ut pergam, & de illustri familiæ splendore per dignitates illato ut contextam nonnulla, quid clarius atque magnificentius prærogativâ Comitum est? At possunt inter gentiles suos METSCHII numerare haud paucos ejus fastigii, non modò amplissimarum in Rhetorâ ditionum Dominos, sed titulo VENATORUM IMPERII quoque insignes. Par principatus culmini Episcopaliū infularum sublimitas est. At qui ad eam aspiravit ALBERTUS, Præsulatum Misnensem, non modò nobilitatis clarissimæ merito, sed eruditionis quoque excellentiâ indeptus: quâ tantâ præstitit, ut Theologiæ Doctor meruerit creari. Nec mihi prætereundus hōc loco CONRADUS METSCHIIUS est, JOACHIMI Electoris Brandenburgici Consiliarius, & ad Comitiam Norinbergensia missus Orator: cumque ALBERTO nunc componendus maximè, quod, ob præclaram juris scientiam, par ipsemet quoque impetaverit decus. Novum hoc nostris moribus, & pro ridiculo penè habebitur, istius ordinis homines, honores Academicos curasse. Sed ævo veteri, cū principes ipsi in parte gloriæ ponerent, si post provinciarum vocabula, & cæteros summæ fortunæ titulos, his sapientiæ quoque insignibus æstimarentur; non potuerunt sanè nati loco equestri, clarissimarum doctrinarum laureas non facere magni: neque minorem laudem interpretari, ingenii strenuitate vicisse ac profligasse inscitiam; quàm forti manuum operâ de victis hostibus statuisse trophæum. Multa mihi egregia nomina prætermittenda hīc sunt, dum brevitati studeo: & unum adhuc JOSEPHUM LEVINUM nominare festino, eruditione, judicio & omnibus togæ artibus  
(ut



(ut dignitatum apices taceam) insignem. Quo uno magis,avo suo,quam multis aliis proauctorum,gloriari FRIDERICUS solitus fuit: non alio nomine,quàm quia primus in gente suâ veritatem coelestem, destinatione divinâ,& ministerio LUTHERI, ex infelicissimis tenebris productam paulò ante in lucem, professus,atque de propagandâ eâ clarissimè meritus; idque à vindice ejus & assertore invictò, quod monumenta ipsius,& plures ad eum exaratae literae, quas pretiosissimi thesauri instar semper habuit FRIDERICUS, testantur, amarus mirificè fuit. Jam si de maternis SCHONBERGIIS commemorare ingrederer, quanta,proh Deum immortalem! mihi nasceretur historia? Sed nec annales componimus; & veniendum tandem ad FRIDERICUM est. Id unum non tacuisse intererit,eam SCHONBERGIORUM familiam esse, quae domi, & in Germaniâ haud tantum, auctoritatem splendoremque generis longè lateque diffuderit, ac stirpem suam in summa enisam viderit culmina (neque enim ulla gens tot dedit olim Episcopos nobis: JOHANNES autem sub seculi proximi finem ad ipsum Septemviratum imperii Treviris, quae Augustorum majestati proxima dignitas, aspiravit) sed reliquis etiam Europae provinciis cultioribus sua dispersit decora, Italiamque & Gallias partim nomine, partim & sanguine in novas inclitasque stirpes adolutoro, illustravit. Quis in superiorum temporum historiâ tam hospes est, qui non de Capuano quodam haud pauca ibi, nec sine laude, meminerit reddi? Hic NICOLAUS ille SCHONBERGIUS est, ex Suevis Misnensibus, ut tumuli titulus, nec imperitè, praedicat, qui amplitudine ingenii, eloquentiae efficaciam, varietate



doctrinæ, & maximarum rerum usu, primas id temporis in Italia, cui dederat civem, facile tenuit; iisque emeruit rebus, qui Generalis non modò Dominicanorum Ordinis Romæ, sed post amplissimas etiam legationes, quibus ad omnes fere Europæ Reges functus nobilissimè est, Archiepiscopus Capuæ, ex quo accepit cognomen, crearetur, mox sub Paulo III. ad ipsam Cardinalitiam purpuram aspiraret. Propius tempora nostra GASPARUS contingit, qui apud Christianissimum Regem summus Germanicæ militiæ tribunus, SCHONBERGIORUM stemma in florentissimum regnum ea felicitate intulit ac propagavit, ut posterie ejus ex Comitibus Nantolii in Halvini evaserint Duces, splendidissimis Galliarum familiis propinquitate innexi, & maximis regni ministeriis admoti. Qui quantis animi dotibus, qua militari scientia virtuteque fuerit, quàm aliis rebus maximis insignis ac clarus, abundè memorant, qui Gallicarum rerum recentiores memorias composuerunt. Sed brevi verissimoque elogio maximus vates Historiæ, JAC. AUGUSTUS THUANUS, complexus digessit, cum de supremis Viri Illustris, amicique summi, exponeret. Præfert auctoritatem venæ gemma, qua eruta est: nec à nobilitate stirpis divertit pomum, quâ fuit decerptum: probavit & FRIDERICUS abundè suorum sortem natalium, & experimentis illustribus docuit, non degenerasse eorum laudibus, quorum de sanguine duxisset originem. Cæterum uti felicitati nascendi indolem; sic incorruptum ac consummatum ejus bonum disciplinis egregiis & suæ debuit industriæ. Nam neque consequi gemma pretium potest, quod habet in se, ni polientis manu splendorem accipiat: & crescit  
ma-



malignè pomum, si desit colentis studium, qui silvescentium ramorum castiget luxuriam, & quicquid noxium iis innasci solet purget. Magnam perinde ad absolvendos mores vim magisteria habent: quæ & proliciunt insitam animis vim, & rectis cultibus roborant, & permansuræ pulchritudinis induunt habitum. Quare excellentissimum ingenium ut ne corrumpere METSCHIUS, iis maturè traditus est, qui teneram ejus ætatem literis pariter, & rudimentis virtutum domi, & in parentum imbuerent ore, quod magnum ad veram educationem momentum habet, modò parentes officium fecerint. Sed mortuo patre, quem undecennis amisit, primùm Cygnæam, hinc Curiam Variscorum, denique Neustadium ad Orlam missus est, ut ductu atque auspicio STEPHANI ROTHII, Antistitis ejus Ecclesiæ, mores & studia sua promoveret in majus. Non ignorabat prudentissima faminarum, mater, quantum esset, à teneris assuescere. Aspiciebat vividam alacremque nati indolem: recordabatur adolescentiæ lubricum, & nimium faciles in petus: reputabat post hæc & imbecillitatem muliebris ingenii, maternique affectus vim, ex quo pleræque parentes indulgentius suos, quam fortius, aut sapienter amant. Respiciebat præterea rei domesticæ amplitudinem, eoque in tam diversas animum multiplicesque distractum curas. Verebatur postremò haud vanè, ne fortè in numerosa familia, Davus aut Geta reperiretur aliquis, qui filium herilem corrumpere. Frugiperarò servulorum ingenia sunt: versuti atque fallaces arripunt Dominis: quos ubi vernili blanditia, & perniciosis obsequiis reddiderunt suos, plerumque evertunt. Maluit igitur in alienis, nec ita amplis  
pena-



penatibus haberi ætatem filii; ubi inter sobriæ frugalitatis & innocentiaæ quotidiana exempla, procul licentia ac luxu, castè ac integrè adolesceret. Septimum decimum annum nondum excesserat, cùm in hanc nostram Academiam venit, comite atque rectore M. DANIELE DORSCHMIDIO, qui medicinam postea Fribergæ, adeptus gradum, cum laude fecit. Cujus fidem atque industriam nunquam prædicare FRIDERICUS desuit: pudoris ingenui ratus, fateri, per quos profeceris: contra quam multi facere solent, qui Aristoteleo vitio præceptorum haud temerè mentionem faciunt, nisi cum reprehendere, & sibi metipsis, superbi & arrogantes, debere omnia videri volunt. Nactus hunc campum in omne literarum ac artium genus latissimo impetu excurrit, nec quicquam magis dedit operam, quàm solidam masculamque eruditionem indueret animo, quæ virum, quæ civem bonum instruat, & maximum sui fructum in ipso rerum promittat usu, non putidam illam atque umbratilem, quæ subtilitates vanissimas agitat, & cum egreditur scholam, nihil est. Quadriennio ita exacto concessit Jenam, Juri vacaturus cum primis, cujus elementa in Academia nostra feliciter hauserat. Quemadmodum enim sine jure & legibus, neque publica res, neque privata constare potest; sic de illarum intelligentiâ peritiâque laborare cum primis debet, qui se non umbræ ac otionatum putet, sed quod cujusque acerrimæ indolis votum maximè est, vel mori in acti cupiat. Qua hîc alacritate animi, quâ contentione nervorum atque ingenii, in illam sapientiæ incubuerit partem, quâ assiduitate interpretes ejus, ARUMÆOS, PINCIGEROS, SCHROTEROS, qui tum Oracula quædam Jurisprudentiæ



dentia ibi habebantur, sectatus sit; quâ eorundem  
 sedulitate celebravit palæstras ac scholas, breviter, &  
 sine aliquo detrimento laudem dici non potest. Id  
 assecutus certè est, tum ita conficit spacia, ut quemad-  
 modum in erudito juvenum studia æmulantium cœtu  
 nobilissimus; sic inter adolescentes nobiles omnium  
 ipse & haberetur eruditissimus, & esset. Multum ad  
 eam laudem ipsi præter naturæ bonum, arcta familia-  
 ritas summaque conjunctio, quæ ipsi cum FRIDE-  
 RICO HORTLEDERO, rerum Germanicarum,  
 & omnis publici juris peritissimo Viro, intercessit, con-  
 tulit; eo enim tum & contubernali, & convivore,  
 & studiosum ac vigilarum perpetuo socio comite-  
 que, amico intimo denique, utebatur. Scilicet  
 plurimum inter est ad componendum morem ani-  
 mi & muniendam virtutis arcem, cum quibus vi-  
 xeris. *Sumuntur à conversantibus mores, & uti qua-*  
*dam in contactos corporis vitia transiliunt; ita animus*  
*mala sua proximis tradit.* Inter salubri ad eam cu-  
 stodia valetudinis facilis est: at sæpe initium morbis  
 fuit, sana ægris miscere. Serpunt etenim vitia, &  
 agunt contagium, & instar pestilentis afflatus, quâ  
 transeunt nocent. O magnum itaque vitæ bonum  
 veri & incorrupti amici sodalitas! cujus aspectus re-  
 creet, colloquium juvet, sensus consilium, ad omnem  
 honesti laudem vita exemplum stimulumque subjiciat.  
 Felicem, qui hunc invenerit! nec minus, qui redinverit!  
 Namque ut reperire difficile est, sic custodire eundem  
 atque tueri sollicitè oportet: ne aut neglectus langveat,  
 aut spertus relinquat. Amarunt constanter per charita-  
 tem mutuam HORTLEDERUS & METSCHUS: ne,  
 quamvis distractis corporibus, dissilierunt unquam ani-



mi, complexi se invicem, ut coaluerant semel. Documento egregio, non temerè alias firmas peræqvè & diuturnas amicitias esse, quàm quæ primævâ contractæ ætate & religiosâ quadam necessitudine imbutæ fuerint. Neque enim sanctius est, iisdem sacris, quam studiis jungi: duratque in ultimam senectutem affectus, qui juvenilibus annis bonâ inoleverit fide. Egressus adolescentiæ spacia, & jam virilitati proprior, cum non ineptè judicare de rebus, rectaque à pravis discernere, & ætatis iudicio, & studiorum profectu valeret, peregrinandi consilium caput, parandæ prudentiæ & disciplinæ vivendi: quam cultiorum gentium instituta ac mores, si quis cum curâ inspiciat, abunde promittunt.

*Anno* Itaque per eas partes Germaniæ, quæ spectant Rhe-  
*1716* num, Gallias primò petiit, felicissimam regionum, quæ  
*v.* ad occidentem recedunt, cum ubertate soli ac opulentiâ, cum genio dotibusque incolarum. Neque enim ulla natio temere, si viros maximos libebit audire ingenii amplitudine, celeritate sensuum, vigoreque animi igneo æque præstat: qui mercaturam, qui artes, & arma eruditionem cum eloquentiâ; omnem denique elegantiam habitum, pari solertiâ ac felicitate exercent. Hoc florentissimum igitur regnum, quantum inter utrumque mare ipsumque Oceanum, & pyrenæi culminis juga se explicat, biennii peragravit spatio: non vagabuntus otiosè & discursione inerti; sed omnium, quæ aut admiratione traherent, aut quodam fructu se commendarent, & indagator curiosus, & observator peritus, & annotator industrius. Testimonio commentarius erit, quem tum confecit, ut jam digressio, longissimeque absenti, quoties voveret, locorum illorum subiret memoria, & quæ inspectacula ibi tenuis-



nuissent olim non sine suavissima voluptate redderet  
 apud animum ac instauraret. Itineri Gallico, Itali- *Anno*  
 cum successit: pari sumtum iudicio, nec dispare suc- *cl. 126*  
 cessu explicitum. Putebat erectam indolem, non in- *IX.*  
 spectasse terram illam, quæ post antiquam Græciam,  
 elegantiarum omnium parens, artium mater, magi-  
 stra, ac dispensatrix doctrinarum meritò audit. Quæ  
 tot maximorum alumna ducum; tot sapientissimorum  
 hominum theatrum amplissimum; sedes præterea ac  
 domicilium illius imperii exstitit, quo nullum aliud  
 aut majus unquam aut diuturnius in terris fuit: com-  
 plexum amplitudine suâ totum terrarum propemo-  
 dum Orbem, & post tot aspera casuum, post tantos  
 seculorum decursus, invictum atque superstes, neque  
 oblitum majestatis pristinæ, & adhuc gentibus omni-  
 bus caput augustum, augustius licet breviusque, quàm  
 ante. Multum tum quidem cladis ac vastita-  
 tis Gotthorum & longobardorum, aliorumque  
 populorum, arma invexerunt Italiæ, per quæ illius pro-  
 vincias longè lateque suam dispensarunt barbariem;  
 non ita tamen à priscæ excellentiæ genio abire potuit  
 nationis indoles, ut nulla amplius in Italiâ Italiæ vete-  
 ris remanerent vestigia. Mansit gravitas, & lepor mo-  
 rum, & dotes plures aliæ, quibus meritam putes, quæ  
 multis gentibus vitæ, & institutionis habeatur exem-  
 plum. Huc igitur postquam venisset FRIDERICUS,  
 iisdem, quibus antea, legibus abstrinxit animum, eo-  
 que adductius habuit, quò plura occurrere videban-  
 tur, quæ facili labe incautis subreperent, & noxiâ  
 suavitate semel admissa everterent. Passim deliciæ,  
 & lenocinia voluptatum atque occasio, quibus felix pa-  
 rataque peccantibus regio vel ad lasciviam usque  
 abun-



abundat; quæ contra omnia METSCHIUS incorruptus & integer, atque invictus perpetuò stetit. Alio enim & aures & oculos & mentem ipsam diviserat. Quod ingenii illustre, magnum egregiumque in animis, in moribus pulchrum, salubre in institutis atque frugiterum, notaverat, id admirabatur maximè, & cupitè seqvebatur, & observationi atque exemplo diligentissimè seponebat. Voluptati præcipuè erat, illustrare loca monumenta que vetera; quæ memorabilis cujusdam seu rei ipsum, sive exempli admonerent; & contemplatione sui vel ad profectum scientiæ facerent, vel utili meditationi suppeditarent materiam. Sic cum sub alpibus Trebiæ flumen, cum trasimeni lacum aspiceret, aut infelicium Cannarum calcaret ruinas, recordabatur Romanarum claudium, reputabatque, quid astus Ducis atque calliditas possent ad rerum summam, quàmque hæc contra valeret parum destituta ingenio agili solertiaque, & sibi soli innisa virtus. Hinc enim Scipiones duos, hinc Paullum Flaminiumque Punicis artibus subibat devictos. Ingressus Campaniam cum illud beatum terræ uber, illum lætissimum & fertilissimum Italiæ tractum, atque, ut veteres appellabant, Bacchi Ceterisque certamen; cum Lucrinum & Bajas, Puteolosque & Cumas, & si quæ alia ibi infessa ac ebria quasi voluptatibus loca inviseret, tum intelligere maxime cepit, quid eripuerit mentem Annibali, quid callidissimo Ducum dederit verba, & tot illustrium ipsi victoriarum interceperit fructum. Poterat quinto post Cannense prælium die epulari in Capitolio, & æmulæ urbis occupare imperium, si potuisset audire Maharbalem, & ante fomenta Campaniæ verissima viri haberet monita. Nunc cum  
relicta



relicta Roma ducit Capuam, inhians hibernorum deliciis, & luxu exercitum, & suâ amentia corrumpit fortunam. Nihil n. ex eo potuit amplius: coactus tandem Italiâ cedere, cui tot annis incubuerat, & ante mœnia suæ Carthaginis Scipioni propemodum fieri supplex. Adeo nihil æquè magna conantibus obstat, quàm voluptates atq̃ue delicias sequi. Quorum omnium tum, sicut in mentem veniebat FRIDRICO; ita & reputabat pariter morem ac rationem factorum, quæ quos evertere constituerint, eorum consilia corrumpere soleant. Quid nunc de titulis sepulchrisq̃ue virorum ingentium, quos Romani annales celebrant, quid eorundem de imaginibus memorem, cum eas in nummis aut statuīs contempleretur FRIDERICUS? Excudiebat ad trophæa Miltiadis Themistocles somnum: ad tumulum Achillis magnus Philippi filius flebat. Non segnius movebatur METSCHIIUS, cùm Fabricii alicujus aut Lœlii, vel & Catonis similitudinem, in ære, argento, marmore contempleretur, ac hujus incredibilem abstinentiam, alterius mite illud & placitum sapere, postremi inusitatum animi robur, invictumq̃ue amorem patriæ, reputaret, quàm recordando has tantas eorum veneratus virtutes, tam æmulandi easdem cupidine accensus. Quamvis autem plurimum delectaretur visendis ac pellustrandis memoriis ac monumentis antiquis, in omni tamen peregrinatione nihil æquè habuit pensi, quàm viva spirantiaq̃ue virorum doctrina virtuteq̃ue illustrium simulacra sectari, quorum oraculis & consuetudine cum eruditior culciorq̃; tum melior ac sapientior fieret. Ita cum aliis pluribus COLLINOS, FREHEROS, GRUTEROS & LINDEBURGIOS in Germania: PINELLOS PIGNO-



GNORISQVE in Italis: in Gallia, CASAUBO-  
 NOS FABROS HORTENSIOS, HOTOMAN-  
 NOS, LECTIOS, & quem primo loco nominare  
 debueram JACOBUM illum AUGUSTUM THU-  
 ANUM, amoenitate ingenii ac cultu, tum comitate  
 morum facile sibi conciliavit: non nullos quoque eo-  
 rum ad familiaritatem literarum atque commertia si-  
 bi adjunxit. Imitamini, imitamini, Generosi Juve-  
 nes, si quanto vos abeundi peregrè libito incedet. Re-  
 cogitate Euripidæum oraculum, *Sapientes & Sapientum*  
*congressibus fieri*: itaque statuite, majorem uberio-  
 remque laborum vestrorum atque itinerum vobis exspe-  
 ctandum fructum haud esse, quam qui ex isto semper  
 florentis, ut Virgilius ait, Sophiæ campo decerpitur.  
 Ita Pythagoras, ita Plato, & cæteri omnes peregrinati  
 sunt, qui non inania curiositatis ineptæ lutibria; aut in-  
 mimorum ridicula æmulos gestus, novaque ornandi  
 atque colendi ingenia, sed ardes bonas, & doctrina-  
 rum ac sapientiæ omnis generis instrumentum locu-  
 ples domum referre voluerunt. Cum repetiisset Itha-  
 cam suam Ulfes noster, decreverat apud animum,  
 abstinere aulis, neque honores petere: non amore i-  
 nertiæ laborumque fugâ, sed sibi & studiis ut posset va-  
 care, simul curando patrimonio & præsens adesse.  
 Quod luculentum & amplum sicuti creverat; ita non  
 numerosas manus tantum, sed plures etiam oculos re-  
 quirebat. Cæterum nemo acrius Dominis videt. Quo-  
 rum præsentia hoc præstat inprimis, ut facientibus o-  
 pus, neque consilium, neque industria, nec fides desit.  
 Quam sæpe Villici post cætera habent, cum sibi, quàm  
 heris villicantur. Erat FRIDERICO non abjectus &  
 humilis animis: sed magnum ac liberum cum esset na-  
 tus.



Etus, non afficiebatur solitudine rerum illarū, quæ ne-  
 que summa bona sapientes habēt, & soli ambitiosi ac vani  
 vel cū periculo sapius, certè haud salvo satis pudore pe-  
 tunt. Contentus igitur suo ordine, & in avitis acquiescēs  
 bonis, nec affectabat culmen altius, & per honorum oc-  
 casionem ad ampliores opus aspirare supersedebāt, am-  
 bitione juxta & avaritia vacuus. In illo silentio tamen &  
 liberali otio suo, neq; latere obscurus diu, nec fallere po-  
 tuit ignotus. Erumpebat virtutum jubar, & sicut ignis  
 celari ægrè paritur, sic inclaruere in brevi excellētes illæ,  
 quibus præditus, dotes, & plenis velis, ut ita dicam, in fa-  
 mam ac laudem invehebantur. Judicii gravitas, consilii  
 copia, æqui rectiq; scientia pariter ac amor ingens, nec  
 impari gravitati humanitas comitasq; omniū ferebatur  
 ore, amores omniū ac studia METSCHIO conciliabant.  
 Ita fiebat ut dirimentis amicorū controversiis frequen-  
 ter adhiberetur medius: nec rarò ab ipso Principe com-  
 ponendis litigiis disceptantiū arbiter, seu honorarijs Ju-  
 dex, allegaretur: tandem verò in ipsam<sup>\*</sup> vocaretur aulam  
 quoque, inter consiliarios dicundo juri cooptandus. A. 179  
196 19  
 Hic magna ipsi deliberatio incidit. Tenebat volu-  
 ptas honestissimi otii, tenebat studiorum amor, & fe-  
 lix illa innoxiaque tranquillitas: vellebat aurem fami-  
 liaris etiam res: cujus curam nec sapientes exuunt, &  
 frugi quisque studiosius agit. Sed cum intueretur patri-  
 am, cū, quid deberet Principi, subjiceret animo: ad  
 hæc & sapientum placita recordaretur, qui neque ra-  
 piendam Remp. nec fugiendam præcipuunt; & ante e-  
 am habere studia, injustitiæ; suis postponere commodis,  
 impietatis pronunciant; tandem denique, trepide ta-  
 men, atque cunctanter; quod modestissimi solent, su-  
 scipit partes, quas nec humiliter exorasset per ambi-  
 tum,



tum & nunc delatas detrectare, supercilium interpretabatur & contumaciam. Imperator Severus solebat dicere: INVITOS, NON AMBIENTES IN REMP. COLLOCANDOS: Sapienter atque preclare, nisi cum digni, cum optimi petunt, & ut deteriores excludant, sumunt frontem; non jam pro se, sed pro Republ. ambientes, cui volunt consultum. Namque & Cato, consummatissimus vir, præturam petiit, ut rivalem Vatiniam, quo nihil turpius nequiusque, repelleret: qui affectabat Remp. ut posset vendere; quam ambiebat contra Cato, ut tueretur, & vindicaret. Nequicquam tamen, cum corruptissimæ Civitatis mores non sinerent: quæ Magistratum Candidatos, non excellentiâ virtutis, sed largitionum magnitudine estimabat. Non semper ambitionis est, ambire honores: constantem fiduciam quandoque arguit: cum meriti sui conscius animus, quod deberi videtur præmium, placitè petit. Cæterum verecunda modestia, ut nihil audeat, non sine virtute tamen est; at vanitas & impudentia vix cum virtute unquam conjuncta. Quò altior unda, hoc & placidius labitur: vatosa ac humilis strepitum edit, dum, quæ non supereminet, illisa saxi vehementius sonat, hoc ipso paupertatem suam confessa. Perinde graves atque modesti, quiete agunt: ventosi ac leves, multa movent, dum, quæ præstare non possunt, inaniter jactant. Reperitur & istud genus, qui speciosis verbis recusant, quæ flagrantissimè cupiunt; affectantes modestiam, sed ut superbius postea in iis se gerant, quæ in invitos collata videri volunt. Aversabatur hæc inimica generosa METSCHII mens, eademque magnitudine animi, quæ non ambierat hactenus delatas partes suscepit in se: non ad inanem splendorem ac fa-



fastum officii amplissimi titulum referens : sed eò potius intendens nervos, ut, quem debebat Senatorem magnum dare, eum exereret atque præstaret. Assidue igitur venire in Curiam : numquam abesse consilio : intentum, consideratum, sobrium animum afferre : præmeditari cum curâ, quæ diceret : censentes alios studiosè ac patienter audire : disquirere comiter, si quod incideret dubium ; non disputare per rixam : quæ vera duceret, sine acerbitate & arrogantia, constanter tamen, afferere : quæ meliora differerentur ab aliis, & assentire facile, & plenè laudare. In iure reddendo sic versabatur, ut neque novum reperiret callidè, quod solebat Tiberius ; & ita veteri uteretur, ut id subinde cum æquitate temperaret, iustus æquè ac bonus. Bonus, sine personarum odio ; & sine earundem respectu iustus. Ita enim semper induxit firmavitque animum, ut neque moveretur metu, nec flecteretur gratia, nec largitione corrumperetur : contemptor omnis pecuniæ, quæ per sordes veniret. Exsplendescabant hæ artes METSCHII, & cum adverterent cæteros, sapientissimam mentem Principis minimè omnium fallebant, cui curæ præcipuæ, suos nosse. Quo ergò valere in plura intelligebat ingenium METSCHII virtutemque, hòc pluribus quoque admovit ipsum præfecitque curis, donec per omnem togatam militiam, in summum gradum eveheret. Nam altero anno pòst in Appellationum, quam vocant, Curiam, eo assidere loco iussit, ut si contingeret abesse Præsidem, (GASPAR SCHONBERGIUS tum erat : quem cothurno eloquentiæ prudentis Periclem ; Aristidem iustitiâ, Phocionem probitate, magnitudine animi atque constantiâ Catonem sui temporis licuisset vocare) ipsius vice negotio-

O

rum

AN  
NO  
1610

XX.



*Anno* rum disponderet regeretque arbitria. Post annum o-  
*elo* *loc* clavum supremo Synedrio, penes quod summa sacro-  
 28. rum & studiorum inspectio ac procuratio, datus est  
 Præses. Hic qua constantiâ tenuerit clavum, qua  
 sapientiâ rexit, felici solertia declinarit scopulos, at-  
 que ex omni tempestate servaverit navem, ac custodie-  
 rit illa sanctissima patriæ pignora, religionem ac literas,  
 dicere, brevis & miscellanæ dissertationis ambitus  
 haud capit: res commentarii est, justamque & pro-  
 priam scribentis requirit industriam. Id dissimulan-  
 dum non est, quo candore ac fide periclitantium lite-  
 rarum indoluerit fato, qua incredibili contentione  
 prostrata furore armorum atque oppressa erigere la-  
 boraverit studia. Vestram fidem, PATRES, con-  
 venio, vos luculentissimos appello testes: vos memo-  
 rare poteritis; qua preces nostras humanitate acce-  
 perit, qua benevolentia adfuerit desideriis nostris, qua  
 æquitate & studio querelis, quantum erat in se, fecerit  
 satis: quos sustinuerit labores dies noctesque, non  
 raro certamina etiam, ut salva ac integra Academiae  
 jura, ut privilegia docentium publicè, sarta tecta que  
 manerent: tum ut ærarii instaurarentur ruinae, quæ pos-  
 sent, stipendiaque nobis procederent rursus, quæ effera  
 hæcenus bellorum rabies absorberat. Quam inar-  
 descere solebat, quoties increparet se vitiam tempo-  
 rum; quàm miserari atque dolere, cum efficacia satis  
 remedia expedire malis nostris, atque in tempore qui-  
 dem, haud posset? Nihil falsi prædico: testor conscien-  
 tiam meam, PATRES: quoties ipsum per ea conveni  
 tempora (conveni autem sæpius cum essem Dresdæ,  
 tum ut probarem ei officium; tum quia id non ingra-  
 tum fore intelligebam, qui indulgentissimo affectu me  
 semper



semper solitus prosequi) nunquam ipsum delatum in cogitationes sermonesque huius generis, quin crebros eruperit gemitus, sæpe & superfuderit lacrimas, nonnunquam in verba defecerit doloris magnitudine obmutescens. Si non præsentis remedio, quanto in futurum solatio tamen, hæc erant? Ea enim demum infelicissima calamitas est, quæ nec misericordiam invenit, & sæpe derisui illis est, qui ante alios levare debebant. Levavit profecto fortunas noster METSCHIIUS: quin Serenissimus Princeps potius, monente METSCHIO ac commendante, quatenus fata patriæ vexatæ pessimè bellis, viribusque defectæ, non obstarent. Nunquam enim voluntas ac votum, in pristinum decus ut resuscitarentur studia, Serenissimo Principi defuit: ut minus aliquando posset, quàm vellet, non per ipsum equidem steterit, sed illam communem necessitatem: cujus cursus transversum impetum voluerunt multi effugere, pauci potuerunt. Probatum longæ industriæ fide, & tot annorum experimentis illustribus domi forisque, dum per Legationes amplissimas (de quibus postea perstringemus, ne observata temporum serie, ordinem rerum turbemus) abest, spectatus METSCHIIUS in \* supremum & sanctius illud consilium, \* A. cl. 176 quod omnem publicum statum, Præside ipso Principe, 386 dispensat & ordinat, ac instar animæ, per artus omnes infusæ, totius corporis agit molem, allegitur. Semper quidem & fovet terras & recreat Sol; sed cum erectus in gradum altissimum est, solstitii que tenuit metā, tū potētissimos radios spargit, maturatque ac perficit omnia, quæ vel florebant ante in culmo, vel in aristā flavescebāt per campos, vel in arboribus rubebāt suave. Perinde METSCHIIUS in id levat fastigii canæ illius & longo usu robustæ



bustæ prudentiæ vim exercuit maximè, ac in salutem &  
 commoda patriæ efficacissimè convertit: nunquam  
 remissus aut otiosus, sollicitus semper atque intentus:  
 neque præsentia tantum verissimâ pensitatione æsti-  
 mans, sed solertissimâ etiam sagacitate auguratus futu-  
 ra. Quemadmodum enim veteranum gubernatorem  
 tempestatum sereni quæ argumenta haud fallunt teme-  
 rè; ita & ipse ventura bona mala quæ ex suis signis  
 haud vanus vates colligebat. Pene injuria virtutum  
 METSCHII fuerit, de sapientissimâ ejus moderatione  
 hîc loco tacere, eximiâ ac necessariâ consultantium  
 apud Principes virtute. Qua qui deficiuntur, affligunt  
 plerumque negotium, non rarò semetipsos evertunt.  
 Gravis semper & odiosa regnantibus libertas immo-  
 dica & supercilium est: qui quo uberiores animos  
 habent, & summum rerum arbitrium, eò & commo-  
 ventur facilius, & gravius deinde incumbunt commoti.  
 Ac licet cohibeant animos, nec agant manu, odio ta-  
 men reponere poterunt, & salutaria quamvis aversari  
 ac spernere, non alio nomine, quàm quia auctor displi-  
 cuit. METSHIUS igitur, cum ei censendum dicen-  
 dum quæ apud Principem esset, sic temperabat animi  
 vim, sic exprimebat sensa verbis, ut & impleret offi-  
 cium, & custodiret reverentiam loci, neque dissimulans  
 verum, neque superbè & impotenter inculcans. Quo-  
 rum altero non effundebat collectam gratiam; altero  
 auctoritatem senatoriam tuebatur. Nec alii temerè  
 salubrius magnis potestatibus assistunt, quàm qui ab-  
 ruptam contumaciam inter atque deforme obsequium  
 medio quodam innoxio quæ itinere decurrunt. Cum uli  
 vicem Imperii Thesaurarii munus ac titulus accessit no-  
 vissimè, ab ipso Augusto sponte ac ultrò delatus. Ma-  
 gno

A. cl.  
 126  
 XL1.



gno documento, quanti virtutes METSCHII merita-  
 que maximus Principum faceret, nullo accipientis am-  
 bitu, nullis tradentium conciliatus precibus, & suo u-  
 nius iudicio fretus. Nunc retro mihi legendum est iter,  
 & revertendum in illa curricula, quæ reliqui ante. Cùm  
 aulam & curiam igitur intrasset METSCHIIUS, inter-  
 venerunt tempora plena negotiis plurimis, & difficilli-  
 mis plerisque ac multò maximi momenti. Adeò, ut  
 domesticis consiliis auspiciisque explicari haud pos-  
 sent, & foris conficienda legationum ministeriis essent.  
 Quarum nulla tam gravis incidit, quin posceretur  
 METSCHIIUS, quin unus deligeretur propemodum,  
 in cuius humeros hoc onus curarum imponeretur. \* A.  
 Transigendum \* Badisinae erat cum missis à Cæsare <sup>cl. 13c</sup>  
 de tradendâ fiduciario primùm, deinde hæreditario <sup>23. cl. 13</sup>  
 jure utrâque Lusatia in belli navati præmium: iterum <sup>13c. 14</sup>  
 iterumque allegatur METSCHIIUS. Componenda & <sup>cl. 13c</sup>  
 ordinanda primis comitiis provincia erat: \* allegatur <sup>35. cl. 13</sup>  
 METSCHIIUS. \* Celebrari Jutroboci debebat Con- <sup>13c. 36</sup>  
 ventus Saxonici dies; & paulò post alius Lipsiæ: u- <sup>\* An- no cl. 13</sup>  
 troque versum allegatur METSCHIIUS. \* Delibe- <sup>13c. 24</sup>  
 randum veniebat cum Theologis & Ictis primariis, <sup>\* An- no cl. 13</sup>  
 Lipsiensibus, Wittenbergensibus atque Jenensibus, <sup>13c. 24</sup>  
 super edicto Cæsareo de restituendis Ecclesiasticis bo- <sup>\* An- no cl. 13</sup>  
 nis; allegatur rursus METSCHIIUS, qui totum illud <sup>13c. 30</sup>  
 Consilium moderetur ac regat. \* Incidebat tractatio <sup>\* An- no cl. 13</sup>  
 ardua cum Suevici Franconiciq; Conventuum Ora- <sup>13c. 31.</sup>  
 toribus, condita Plaviæ: quis mitteretur alius, quàm  
 toties qui felicissimè missus METSCHIIUS erat? Præ-  
 clara hæc atque egregia sunt, AUDITORES, & quæ  
 sufficere sola possint, ad circumdandam ei præcellētem  
 laudem ac gloriam, qui esset defunctus; non omnia ta-



men sunt: & ampliora restant adhuc in isto genere de  
 METSCHIO nostro commemoranda. Nondum e-  
 nim de Evangelicorum procerum concilio Francofur-  
 ti ad Mænum componendæ paci instituto, quò missus  
 METSCHIUS, nondum de Ratisbonensi Electorum  
 conventu in quo FERDINANDUS III. dictus Cæsar,  
 & augustali Ceremonia inauguratus est, cui Principis  
 vicem inusitato hætenus exemplo interfuit MET-  
 SCHIUS; nondum de Legatione Pragensi pro acci-  
 piendis solenni ritu Imperii, Bohemiæ, Lusatiaque  
 feudis, cui præfuit METSCHIUS, nondum de Leuto-  
 meritano itinere à Serenissimo Electore ad FERDI-  
 NANDUM II. Imp. Aug. gravissimarum deliberatio-  
 num causâ suscepto, in quo primarii Comitibus partibus  
 non functus tantum METSCHIUS est; sed maximo-  
 rum quoque consiliorum adiutor Principi affuit, dixi.  
 A. cl<sup>o</sup> Quid de Electorali concilio Norinbergam indicto?  
 Ioc 36  
 A. cl<sup>o</sup> Quid de Comitibus Ratisbonensibus mox consecutis?  
 Ioc 32  
 A. cl<sup>o</sup> Quid de Palatinatus controversiâ memorem, & Ratis-  
 bonæ, & demum Viennæ tractatâ? Ubique affuit  
 XL. METSCHIUS, ubique Legati principis partes admi-  
 A. cl<sup>o</sup> nistravit ac gessit. Magnum Legatorum nomen, ma-  
 Ioc gna dignitas, sed numerosissimum arduumque impri-  
 XLI. mis officium est. Non ducitur sorte, aut temerè sumi-  
 tur, eligitur Legatus: & quis eligitur, quàm qui in op-  
 timis, ac præstantissimis maximè probatur? Missus in  
 munus non suus amplius Legatus est: personam prin-  
 cipis sustinet: & ita maiestate ac publicâ quâdam religio-  
 ne munitus incedit, quæ venerabilem ipsum & sanctum  
 & inviolatum gentibus præstat. Sed ordinare peritè at-  
 que disponere causam, sed sic dispositam tractare ex u-  
 so, & explicare feliciter, & obtinere, quæ petas; & inter  
 hæc



hæc tueri magnificè mittentis personam, excipientium  
majestatem non offendere temerè, colligere hominum  
studia, penetrare sensus, animos tenere, & hinc amore,  
hinc reverentiâ & auctoritate eosdem implere ut pos-  
sis, qua vi ingenii, judicii copia, apparatu scientiæ, pru-  
dentiæ actu; quibus facundiæ viribus, quo dexteritatis  
solertiæque facundissimo genio opus est; Tantæ pro-  
fecto hæc artes sunt, ut singulæ etiam ac dispartitæ, cui  
contigerint, magno futuræ decori sint: quàm singula-  
rem itaque ac prope cælestem præstiterit hominem: qui  
universas possideat, & omnes uno miscuerit cinno? Sa-  
tis hinc, puto, intelligi potest, quàm excellens natuta  
**METSCHIO**, quæ raræ & nobilissimæ ipsi dotes con-  
tigerint. Neque enim aut demandatæ illi tot legationes  
fuissent gravissimæ, aut ipse iisdem tantâ felicitatis laude  
fuisset perfunctus, nî omnis earum rerum copia, quæ  
munus partesque Legati absolunt, affuisset ubertim.  
Pulchrum eximiumque habetur, tueri armis patriam, vi  
hostes depellere: securitatem ac vitam omnium, dum  
cernas tuâ, locare in tuto: hæc ipsa tamē si quis consilio  
industriâq; inermis efficiat, ne ego illud & multo gravius  
& præstabilius duxerim. Arma repelluntur armis; quorū  
omnis vis in aperto est, ac corporū robore, audaciâ ma-  
nuū, pervicaciâ animorū, peragitur: hîc ingeniorū cer-  
tamē, & in occulto maximè, cernitur: quorū petitiones  
ac ictus non nisi perspicacissimæ mētis acie videas, effi-  
cacissimæ solertiæ artib; declines aut vincas. Quod tan-  
tas difficultates sæpius habet, ut facilius multò ac pronius  
sit, ferro ac virib; quāvis ingētes copias fūdere; quàm  
unius acuti ferocisq; & obstinati hominis suadēdo vin-  
cere pervicaciam. Quas laureas itaq; debemus **MET-**  
**SCHIO**, quæ ornāmēta eidem decernet posteritas, non



armatorum hostium quidem, sed maximorum negotiorum victori felici? Quamvis enim nihil unquam laudi ac gloriæ dederit METSCHIUS, dicta factaque omnia ad conscientiam referens, ex qua se optimus quisque maximè æstimat; non tamen carere præmio suo apud superstites illustres atque excellens virtus debet; & nisi suum cuique decus reddat posteritas, ingrata eadem erit, aut invida. Huc mihi erecta juvenum indoles, huc gnava virorum industria ades! Ponite vobis ante oculos METSCHIIUM: quis ille quantusque in omni vitæ colore fuerit, intuemini, cum curâ; contemplamini dotes, spectate virtutes ejus illustres: relegite acta & gesta, quibus claruit; reperietis luculentum exemplum in omni cultu civili ac habitu perfectissimi viri. Quale apud veteres aut Atticus aliquis, aut Plinius Cæcilius dedit, nisi quod alter abstinuit plane honoribus, alter gessit honores: cum tamen utrumque expresserit METSCHIUS; æmulus Attico, cum non ambivit; & comparandus Plinio, cum honores accepit delatos. Hinc discere erit, quibus tingendus & præstruendus artibus animus, qui cogitet publicum, qui patriam tueri consilio cupiat: quâ procedendum viâ sit, qui umbras quærat emergere, & alacritate nobili altiora affectet; sed ut declinet præruptos tramites, & prava compendiorum æquè fugiat. Neque enim segura & tuta ulla sublimitas, nisi virtuti innixa. Malæ artes arenosi & lubrici soli imitantur naturam; quicquid imponas, levi impulsu corruet. Facturus videbor pretium operæ, si postquam de publicâ METSCHII vitâ exposui, nunc de privatâ non nihil connectam. Hæc enim alteram præparat: nec utilis temerè publico sit, nisi qui domi suæ, quæ & ipsa imaginē quan-



quandam Reip. gerit, antea fuerit frugi. Et ad exemplum interest, ut METSCHIUS totus cognoscatur, qualicet. Sed domum pater materque familias, liberi que communes, & familiares constituunt. In quibus partibus omnibus ita se comparavit METSCHIUS ac gessit, ut commodum maritum uxori (ANNA ELISABETHA SCHONBERGIA erat, decus ingens matronæ) patrem piissimum liberis (quos XII. sustulit, reliquit tres) Domesticis herum æquum exhiberet ac bonum. Complectebatur conjugem sanctè, ut animæ suæ partem alteram, ut liberorum felicem matrem, ut rerum & fortunarum omnium fidelissimam sociam dulcissimamque consortem; amabat, fovebat, tuebatur liberos, ut sanguinem suum, ut quos simillimos sibi optabat videre, & itineribus iisdem ingredi, quibus præcellerat ipse, enisus in summa. Cum servulis suis clementer agebat atque intentè: ut nec obsequium, facilitatè; nec asperitatè amorem corrumpere. Nemo enim ministeria sua fastu atque sævitiâ frugi effecit. Nullum in domo ejus luxuriæ, & apparatus nimii, & delicati ac anxii cultus; industriæ contra & continentia parabilisque munditiæ signa plurima erant. Cumque ex facili eum moris antiqui cognosceres; non intonabat temen seculo, & odium profitebatur hominum, & quicquid ipse non faceret, superbè aliis exprobrabat. Spectabat, ferebat, quibus vetandis & coercendis impar esset: & sapientis existimabat, sibi detrahare vitia; in aliis ferre. Idem gravis & serius in negotiis; in remissione jucundus ac comis, sed salvâ dignitatis persona. Non domum suam in antrum triste, aut inaccessum convertibat adytum, suoque secreto familiari se velut carcere quodam damna-

O 5

bat;



bat: patebat omnibus: admittebat quosvis humaniter, fastidiens neminem, neminem captans, ingenua bonitate animi, & quadam omnes juvandi voluptate ductus. Sermo promptus ac facilis: non anxius ac superbus, non fictus astu, & insidias audientium & compositus callidè ac tortus; sed liberalis atque ingenuus, & generoso quodam candore verus ac liber, sine amaritudine tamen atque acerbitate. Miscebat & per ætatem jocos, leporumque amœnitate amabili commendabat dicta seriò; interferebat & historiolas, ac Enniani illius amici instar multa antiqva, sepulta, vetusta è memoriæ depromebat thesauris: quæ uti sub melioribus annis mirè in eo floruit, ita in grandi illâ ætate nec malæ omninò fidei erat. Hanc enim delicatissimam humani animi partem primam omnium senectus invadit. Nihil promittebat temerè: quæ semel promiserat, religiosè servabat. Fumos vendere, & affectatis verborum blanditiis hiantes ambientium ducere spes, aliorum quæstus ac artificium sit; METSCHII non erat: ad cuius magnum excelsumque animum humilitas ista ac sordes non pertingebant. Adversa tolerabat fortiter, quod viri est; secunda reverèter habebat & cautè, quod sapientis: nec efferens inconsultè animum, nec abjectè demittens. Recogitabat vices rerum, & rotam fortunæ volubilem, & hominem esse, nunquam obliviscebatur. In primis ætate provectior, & natu majore. Namque si homo bulla, ut Varro dicebat, eò magis Senex. Non fugiebat hoc METSCHIIUM & bene memor respiciebat subinde volvebatque suprema secum: eaque ut rectè posset obire, hoc diligentius dabat assiduè operam, quod rectè, non nisi semel, obiri possent. Quid circuire mundum juvet, quid causas secretaque ejus rimari,



mari, in omnem naturam denique mentem oculosque dimittere, dum tuam ipsius negligas, teque mortalem minus cogites, & moriendi artem condiscas? Magnam laudem habet, non ignorare, quæ nescit vulgus, & liberare tenebris animum, levareque altius mentem, quam enititur turba: sed hic doctissimus omnium & sapientissimus fuerit, qui probè hanc disciplinam calleat, ut nunquam non lætus & hilaris, & plenus optimæ spei fatum suum possit excipere. Didicit METSCHIUS, nec quicquam hætenus studuit magis, quàm ut oppeteret pulchrè, in quod Octobris proximi decimo nono incidit die, vitâ decedens. O durum ac illætabile verbum quò abripis me? In quem furentis fluctus instar repentè me conjicis scopulum atque illidis? Quæ deprehensum in hac necessitate sustinebit spes? Quæ laborantem constantia asseret? Sed ut ut habeat res, eluctari oportet: & planiora emensis hæc aspera quoque ac confragosa sunt pervadenda. Incumbebat senectus, onus grave: invaserat morbus, lentum atque difficile malum: quò magis collabascere vires, & valetudine vexatæ, & ipsâ ætate jam vanescentes. Sed cum adhuc vigere animus, & respondere muneri videbatur, non deponebat METSCHIUS partes, atque vel domi & sedens in lectulo sustinebat. Satis consulere corpori visus, si non concuteretur motu, & qualicunque quiete gauderet compositum. Dispar delicatulis illis, qui, cum leviter manus aut pes dolere cepit, abjiciunt illico animum, & abdicunt intra thalamum altè, curis suis indicunt ferias, sæpeque langvorem brevem cessationis non brevis arripiunt causâ. Obibat itaque munia METSCHIUS, æger atque decumbens, quod virum acrem ac strenuum decebat: neque  
mu.



mutavit ante, quam impar labori omni corpus, jam ipsis operibus animi quoque minus suppeditaret. Quid enim faceret consumtis instrumentis propemodum, in quibus operari consuevit animus: & linguâ maximè, interprete animi, ægrè tardeque veniente ad partes? Videbat METSCHIUS quid hinc maneret: & grave venire haud poterat, quod sapientissimâ mente suâ diu peregerat ante. Gravatus annis, optabat solvi: & involutus suâ pietate minimè omnium timebat mori. Nam quid metueret, qui secum CHRISTUM haberet? Habuit, habuit illum secum perpetuo; sed tum se illi permisit uni, cum cætera omnia dimittenda mox essent. Cum valedixisset affectibus, conjugî, liberis, dulcissimisque nepotum nominibus, & si qui alii aderant, quos charitate complectebatur; neque officii erga communem parentem patriæ, & cujus humeris proximè nostra omnium salis securitasque innititur, oblitus fuit, cum Genero suo, Generoso ac Summo Viro, JOHANNI NICOLAO à SCHONFELD, Consiliario Cameræ, quem vocant, & Censuali, negotiû daret perferendæ legationis, & desideria deficientis vota que ultima Principibus Serenissimis commendandi. Neque enim non meminisse inter suprema poterat, quos omni vitâ sanctè ante, ac velut numinum genus aliquod (& sunt revera Principes numina) coluisset. Vacuus rerum humanarum curis, totâ mente capiebat cælum, & precerpebat illa gaudia, quorum ut potiretur, tristitia omnia atque acerba hæcenus, quæ incidissent, æquissimo animo pertulerat. Qui licet nondum evolasset terris, tamen jam tum in superis versabatur quodammodo, & inter illos beatorum Spirituum, illudque SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS,



CTUS, perpetuò incinentium cœtus, ipse quoque gaudebat ac exultabat, sub quadam imagine obiens, quæ mox reipsâ obiturus in æternum esset. Ibat in finem suum, hoc est, in vesperam, quem dixi, dies, \* cum ipse \* xix. admoveretur fini, atque in vitæ adeo vespera obiret di- Orob em placidissimè, quinto & septuagesimo anno finem A. 13 propius ducto. Felix post cætera hōc tanto ætatis spa- 13655. tio etiam, & quod uxore liberisque superstitibus, dignitate incolumi, florente fama excederet, sequentibus omnium lacrimis, quod verissimum magnorum meritorum virtutisque testimonium est. Nemo enim in alieni funere, nisi cum multum profuit raptus, temerè fletat. Quid nunc hīc faciam Auditores? Quas in præsentī capessam partes? Erigere jacentes cupiam? Dejectus ipsemet sum. Solari mcerentes instituam? Eadem indigeo ope, Ad fortiora transeam, & legem statuam lacrimis, & objurgatoria voce compescam dolorem? Durus, immitis, impius videar. Incitem contrā atque accendam luctum? Nihil agam? Neque proficiam quicquam ad summum. Non revocari METSCHIIUS lacrimis, nec ullis lamentis reduci potest, qui semel ereptus. Calamitosæ ac turbidæ res consilium, non fletum, expetunt. Et remederi luctum quidem disciplina salubris; damnum sarcire æquè non potest. Romanus Vates de tumulto suo per inscripti elogii apices vocem veluti tollens, suos admonet cives, ne quis se decoret lacrimis, ne propinquorum pietas planctum sibi ac fletum faciat. Vivere enim adhuc, & per virorum volitare se ora, ut ipse loquitur, hoc est, secundis hominum rumoribus celebrari ubique. Nimirum existimabat sophus, aliam corporis, ingenii aliam vitam esse. Illam durare, quamdiu in corpore spiritus maneat:

neat:



neat: hanc in præclaris monumentis spectari, neque finiri antè, quàm ipsa occiderint. Condiderat Ennius res Romanorum carminibus: Græcorum fabulas intulerat Latio: scripserat Satyras, intactum Romanis ingeniis opus. Quæ novitas rerum, & vixdum degustari cœpta Musarum dulcedo, ita detinuit accepit populum Martium, ut admirarentur omnes ingenium Viri, neque minoris existimarent deductum Sardiniam Poëtam, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Hac fretus gloriâ, victurum perpetuò sese sperabat Vates, nec finiendam antè memoriam sui, quàm qui relinqueret carmina, amplius haut essent, quæ augurabatur æterna fore. Nec falsum habuit Poëtam prælagientis animi omen. Leguntur adhuc eorum reliquæ, & post ducenta secula in perennitate literarum durat durabitque Ennii nomen. Putate, Auditores, & nostrum, Heroa de conditorio suo attollere caput, quin ex cælesti potius, quæ nunc receptus, arce despicientem, augustiore, quàm solebat antea, ore dicere: *Quò agriiudo vestra hac facit? Iniquè factum interpretanimi, quod ereptus sum? Subtractum corpus, velamentum animi, est: animus ipse superat, extra fortunam omnem ac casum positus, & suâ naturâ æternus.* Ergonè sic vixi, ut mortuus vobis videri possim? In illos id convenit, qui segni otio inertiaque, memoriam sui cum vivâ ipsâ sepe licerunt. *Quibus consiliis & auctor & actor affui hætenus? Quibus negotiis in ultimam senectutem vitam extraxi? Conceditur Veteranis missio: & opus quisque facit, ut tandem quiescat. Invidebitis mihi, quod operariis atque militibus datur? Credite mihi, interire magni viri haud possunt: cum ipsi amplius non sunt, opera virtutesque eorum durant: in quarum gloriâ, novam & aliam, &*

cer-



certiorem vitam ducunt. Quid tum, si species mea sub  
ducta oculis est? Super sunt exempla: quæ reminisci & in-  
tueri, & amulari denique licebit semper. Nec major alia  
in mortuos, salubrior in viventes pietas est. Lamenta &  
lacrimæ nec juvant defunctos, & affligunt superstites: &  
cum nequicquam fluxerint diu, ultrò tandem exarent.  
Plenisimè honoraverit mortuum, qui actus viventis præ-  
claros exprimere, & fieri studeat, quod ipse fuit. Seqve-  
mur præcepta tua, BEATE HEROS: quæ in te fle-  
vimus hæctenus, colemus deinceps & venerabimur:  
nec charior temerè aut sanctior nobis, quàm nominis  
tui memoria erit. Repetemus assiduè dicta fataque  
nobiscum tua: de dotibus maximis tuis atque virtuti-  
bus aut meditatio nobis instituetur, aut sermo. Hæc  
liberi nostri ex nobis, hæc nepotes audient, ut isti rursus  
posteris tradant; tuque in animis hominum, memoria  
temporum, fama rerum, neque inglorius maneat, &  
semper agas superstes, admirandus cæteris, solis  
felicioribus imitandus.

D I X I.



ORA-





## ORATIO UNDECIMA,

MEMORIÆ

REVERENDISSIMI PRAESVLIS,

PAULI ROBERI, SS.

THEOL. D. PP. NEC NON EC-  
 CLESIAE WITTENBERGENSIS ET CÆ-  
 TERARUM CIRCULI ELECT. SAXONI-  
 CI SUPERINTENDENTIS OPTI-  
 ME MERITI;

DICTA A. clō, lpc. Ll.

*Serenissimorum Electoris Principumq; Saxon. Legati splen-  
 didissimi. Rector Magnifice, Illustres & Generosissi-  
 mi Barones, Patres Academici Amplissimi, Excel-  
 lentissimi. Assessores Scabinatus & Facultatum  
 Clarissimi: Quæstor, Consules, & Senatores Pru-  
 dentissimi ac Spectatissimi, Ecclesiastæ Reverendi: tu-  
 que reliqua Civium Academicorum nobilissima atq;  
 lectissima Concio:*

**Q**uartus dies est, quod sanctum & venerabilem  
 nostrum Antistitem, PAULUM ROBE-  
 RUM, solutis iustis exequiarum, ritè huma-  
 vimus. Qui cum ingenti Academix nostræ haud tan-  
 tum, sed universæ huius Saxonix præsidio juxta & orna-  
 mento singulari fuerit, res omnium maximè digna est  
 visa,



visa, ut ejus memoria hōc ipso in loco, atque hāc ipsā in Cathedrā, quam supra XX. annos eruditissimis Scholis, quas ibi habuit, illustravit mirificè, celebraretur. Quas partes quod humeris istis imponi passus sum, facile, spero, excusaverit, tum horum, qui decreverunt mihi istam provinciam, auctoritas (quam sine summo flagitio defugere mihi & declinare haud fuit) tum necessitudo ac jus, quo adolescens ROBERUS me adolescentulum sibi in Condiscipulatu Portæ primum obstrinxit. Et tot annorum porro Collegæ id denegare officii, amicitiae legem haud tantum, sed prope ipsius pietatis lādere, non præter rem, puto, videbatur. Illud me multò pessimè habet, quod nihil ejus afferre possum, quod excellentissimis ROBERI meritis respondeat, aut expectationem vestram sustineat, AUDITORES. Nostis, quā in dolore maxima etiam & præstantissima ingenia jaceant: quamque arduum ac perdifficile sit, in luctu ingenti, simul & pietatis, & eloquentiae mereri laudem. Deinde, quis ille tam uber atque divinus Orator est, qui paria ROBERO, cum primis in festinatione tali, cum animus nec quiescendi doloris, nec cogitandi perpensus, quid dicat potissimum, idque quam benè & dignè dicat, videndi spatium habet magnopere, se dicere posse, fiduciamumat? Non levis ac tralatitia res est, de viris summis exponere, & quorum altissimas maximasque doctes, pro traditate animi, aut nunquam, sicuti sunt, aut ægrè tandem assequaris, celeriter de iis atq; magnificè facere verba. Videborq; magnum quid præstitisse, si non in ipso limine statim, ac primo aditu, obmutescam. Ego vero cum, uti semel in isto constiti gradu, sic in feralem hunc campum excurrere omninò habeam neces-

P

se;



se; ita orationem meam instituam, non ut incedam per tempora, & universam ROBERI vitam retexam ordine; sed ut per species, ut loquebantur antiqui in istâ re, de quibusdam virtutibus Viri potissimum, quoad fieri poterit, exequar. Quod si de eo quisq;, quem & faciat magni, & plurimum amet, quam libentissimè verba fieri audit; de vestrà facilitate, AUDITORES, ac benevolentia præclarâ omnia atque eximia mihi ausim promittere. Nam quoruscunque vestrum est, qui ROBERUM aut non impensè amat superstitem, aut nunc defunctum non venerabiliter recordetur? Si pretia rerum non tam ex ipsis, quàm instrumentis, quibus effectæ, petenda sint; nec prædicari quisquam possit magnificè, nisi qui magno atq; illustri loco editus; vehementer erat timendum, ne oporteret filere ante, quam quicquam dicere de ROBERO ingrederer. Nam quid de genere ejus, deq; natalibus, egregium atq; excellens afferre licebit, cùm is contigerit genitor, qui nec majorum luce conspicuus, & ipse per se non aliò nomine, quàm opificii, quod exercebat, & boni viri apud contribules suos notus esset? Nunc tantum abest, ut præferenda origo meritis sit, ut potius, quid quodq; sit natum, quàm unde sit natum, spectare oporteat. Si bestia & animantes, ut fortes & strenuas præbuerint se, ita & generosæ haberi solent; quidni in homine etiam, quod optimum fuerit, id nobilissimum judicabimus? Ab eadem terrâ & aurum & lutum est? nec fulgentissimas gemmas alia procreat mater, quàm quæ lapillos in triviis, & alia hujus producit generis, quæ vulgò calcamus. Quare non incunabula vilitatem aut pretium; sed suum cuiq; meritum facit: & inter homines, non natura & ortus, qui idem omnibus; sed virtus & animus discrimen



men dat. Cætera, sicut fortuita sunt, aut de naturæ ordine; ita nemini per se aut laudi eximæ, aut vitio atque dedecori esse queunt. Quare quod alii fortè hōc loco dissimulaverint callidè, id maximè premo; nec ullâ aliâ parte magis miror ROBERUM, quàm laborare nonnullis, quâ videatur. Est quidem felix, & propriâ & majorum fulgere laude; sed ingentem ac magnum verè dicere videar, qui destitutus cæteris, suæ unius virtuti debeat, quicquid fastigii & claritatis adeptus fuerit: nec aliunde sumserit lucem, sed sibi metipsi circumfuderit primus, quâ pariter se & posteritatem suam illustret. Quò difficilius igitur acquirere magnitudinem, quam nullam habeas; quàm aliunde acceptam tueri & amplificare; eò plus in ROBERO habebit laudis, quod suâ solius industriâ perruperit tenebras, in quibus natus, facemq; accenderit, quæ genitis genitorum, & qui ab illis nascentur, splendorem ac lumen affunderet. Minimè verò existimandum fortunæ casusque negotium geri, cum tales homines nasci contigerit. Providentiæ beneficium est. Quæ cum promota mortalium commoda benignè cupit, tales in terras dispensat quoque, qui omnium optimè destinata perficiant. Quos dum molitur natura ac fingit, de cunctis thesauris impendit propemodum, quicquid raræ atq; eximæ ibi conditur dotis. In statuarios pictoresq; æmula scilicet, qui consummatissimæ pulchritudinis posituri speciem, quicquid notabile arte ac elegantia aut observaverint uspiam, aut ipsi conceperint animo, in simulacrum sive imaginē suam libenter conferunt. Si per ROBERUM nostrum juvabit irè, & recensere pensus, ex quibus contextus fuit, partes; quod artificium benignissimæ opificis, quas, ut sic dicam, quam solertissimas juxta & libera-



beralissimas manus ejus ubique aspiciemus? Nec nunc de dignitate corporis, de concinnitate membrorum & justo habitu, de flore oris prætereâ, quicquam dicam. Majora enim in animo ejus enituerunt ac moribus, quæ manum injiciunt, & sicut principe loco sunt, ita præ cæteris nosci volunt. Neque negaverit quisquam temerè, pensandum imprimis in feliciori naturâ faciendum ac velox ad disciplinas quascunque arripientdas ingenium. Quo laudis titulo in quantum præstiterit PAULUS, evidentissimè vicerit illa varietas artium, illud scientiarum instrumentum multiplex, quo admirationi hætenus omnibus fuit. De Græcis, de Ebraicis literis, de cognitione universæ Philosophiæ, ne dicendum quidem est. Quibus nisi haud leviter sanè, sed penitus penitusque fuisset intinctus, non nobis dedisset Theologum, quicum paucissimi possent conferri. Eminentissimi Principum numerosa se circum ministeria habent; cum ad tuendum majestatis splendorem, tum ad Rempublicam administrandam, cum ipsi in omnes partes sufficere soli haud queant. Scientiarum quoque Reginam haud parum de dignitate suâ amittere, & velut in quasdam eogi angustias, vero est simile, si non stipata pulcherrimo artium comitatu fuerit, quæ ancillarum instar imperia Dominæ præstolentur. Ita etenim habeo; qui per interpretes cognoscat Scripturas, nec nisi alienâ fide ingenioque nitatur; prætereâ intelligentiam rerum causarumque non habeat, nec aut inveniendi firmandique veri, aut deprehendendæ ac arguendæ falsitatis, vias ac disciplinas egregiè calleat, illum ad explicanda mysteria religionis ac fidei, remque administrandam Ecclesiæ, nihil præclarum magnoperè atque excellens collaturum. Ut



Ut nihil horum non tenebat ROBERUS egregiè; sic adornatus instructusque plurimis aliis fuit. Nam quid de Mathematicis scientiis, de Geometriâ, de Astronomiâ, de temporum ratione, commemorem? Quas ita ROBERUS hauserat ac perdidicerat, ut & de difficillimis quæstionibus promptè subtiliterque & solidè responderet. Nec dum de Musicâ diximus: cui tantum divinitatis tribuisse Pythagoram legimus, ut totam mundani corporis molem Musicâ ratione contextam à Deo opifice, quin nostras hominum animas quoque compositas conflatasque ex numeris pronunciaret. Quas eam ob causam purgari canticis, & suavitate modulationum divinitati suæ restitui persuasus, legem dedit discipulis, ut manè expergiti ad citharæ cantum excitarent elicerentque velut insitam vim; & vespere euntes cubitum, simili ratione componerent ac delerent. Neque harmonicæ tantum, & solâ quæ voce peragitur, ROBERUS præstabat peritiâ; verùm Organicam quoque, quam appellarunt, se ipso maximè magistro usus, callebat. Omni hōc genere à prima annorum teneritate delectatus mirificè, non ut inanis & mox cum sono transituræ voluptatis instrumentum haberet, sed pietatis & laudis divinæ; quam voce non tantum ac carmine; sed citharâ etiam tympanoque ac tubâ reddendam, de Psalmis didicerat. Non cæteræ eruditioni hominis injuriam fecero, si de Poesi quoque ejushōc loco reddiderim. Quid est Poesis, nisi genus quoddam, sed præstantissimum Musicæ? Cum eâ itaq; nunc aptè connectitur. Quid est Poesis, nisi contubernalis sapientiæ, ut sapientissimi etiam judicarunt? Non alienâ igitur magnorū doctissimorumq; virorū laude. Si in Nepotiano Presbytero pingendi artē cōmendavit



Hieronymus : quis studium carminumque amorem commemorari in Antistite indecorum putaverit ? Idem Presbyteri Episcopi que officium est : sed in hoc dignitas amplior. Et cum pictura Poësisque cognatas sint, hæc nobilitate tamen excellit. Utraque autem de liberalium numero : & itaque nec ea Presbytero, neque Episcopo ista indigna. Quid quod producere maximos viros haud parvo numero possum, qui ab his literis non modo remissiones animi & otii sui oblectamenta petere ; sed serias etiam & graves maxime cogitationes ac curas interstinguere & temperare hoc suavitatis genere fuerunt soliti. Nam quid de maximis Ebraeorum Regibus , Davide ac Salomone commemorare ? Qui rebus gestis imperia, ingenia vero divinis versibus, æquatâ gloriâ, nobilitarunt ? Quid de Ecclesiæ priscæ luminibus, Ambrosio, inquam, atque Hilario ; quin Damaso ipso Pontifice ; Prudentio que atque Paullino, ut infinitos alios taceam ? Qui non minorem laudem pangendis carminibus cælestissimis, quam prosteruenda Hæreticorum perfidia retulerunt. Æmulus itaque horum ROBERUS , quam adolescens artem didicerat , eadem felicitate exercuit senior : seu dandus ludus ingenuus animo , seu satisfaciendum amicis esset, aut approbanda pietas Deo. Defungens nunc Epigrammate aliquo (cujus generis plura & argutissima & rotundissima ab ipso legimus) nunc Edyllo quodam : nam iusta & longiora Poemata condere, per occupationes muneris prohibeatur : nec ipse rerum curarumque tempora ludo eximi, permittebat. Ac nescio quid in ROBERO hîc prius mirer : felicitatem ingenii, an judicii pondus & gravitatem. Facundæ indolis erat redundare in variarum artium elegantiam ; at in-



intelligere, artes omnes communi inter se aptas vinculo, & colligatas tam arctè, ut separatæ atq; diductæ vim ac æternitatem suam tueri haud possint; idq; discendas omnes & complectendas; mentis judiciorisimæ est. Quicquid sit, utroq; ROBERUS præstitit: & præter istâ memoriâ quoq;, tã veloci ad comprehendenda, quæ vellet, quàm continenda, quæ accepisset, fideli: nec minus promptâ reddendis iis, quæ postularetur. Quis unquam ROBERUM, sive concionaretur in templo, sive differeret ex cathedrâ, sive alio loco & causâ oraret aliquid, hærare, frigescere, oratione destitui, notavit atq; advertit? Ita perpetuo eum lecta beataq; verborum ac sensuum copia circumfluebat. Jam, in familiari consuetudine, inque convictibus, cum positâ paullulum severitatis munerisq; personâ, hilaritati aliquid dandum innoxia est; quas ille historias, quas narrationes, veteres, recentes, utrarumq; medias: quæ dicta & apophtegmata, seria juxta & lepidiora (si illa amœnitas aliquid bonæ frugis promitteret) & quàm appositè, ad nimbi cujusdam instar, multâ jucunditate, sed nullo gravitatis dispendio, conserebat? Neq; enim, ut puto, quicquam inhumanius iis est, qui nunquam ridere sustinent, & Sapientis dignationem solâ tristitiâ ac supercilio metiuntur. Hoc autem dum faciunt, non illum quidem agnoscunt hominem, sed saxum ac stipitem, aut DEUM, concinnant. (Quamquam Homerus & Deos suos ridentes induxit.) Nisi me omnia fallunt, rectissimè Sapientem humani generis medicum dixerim. Hic enim est, qui animorum medicinas & proficitur & facit: investigator haud tantum, sed & magister atque præceptor veritatis communis, unde mentium sanitas est. At bonum Medicum nonnè & morum



elegantia venustasque sermonis commendat jacentibus? Et ipse jacentes annon lubentius æque ac plenius præceptis eorum obsequi solent, qui cum illecebrâ quadam ad se intrarunt? Quid quod nec Medici unam aloen, absinthiumve, aut alia hujus generis multò amara & tristia, egrotis propinant; sed per etatem & mel, & canne Indicę succum, & plura ejusmodi grata ac dulcia pharmacis quam saluberrimè consueverunt miscere. Vetustissimorum Sapientum, sed Platoniorum in primis, fuit, sub ludicri & jocularis argumenti specie, gravissimarum rerum explicare doctrinas; & Pietatis ac Religionis nostrę auctores ac duces cum disciplinam sermonis conderent, non excluderunt voluptates ac sales; scurrilitatem ac turpitudines abstulerunt. Quas neque loqui Christianus salvâ sacramenti religione; & absque piaculo audire Sacerdos vix potest. Non hæc festivitas igitur detraxit sanctitati ROBERI; sed commendavit eam potius, & acceptabilem magis reddidit, documento prolixo, cum expedire memorie, tum amœnioris ingenii ac lætioris. Præclara atque eximia sunt, de quibus diximus hætenus; modica tamen præ illis, quę post deinceps sunt exponenda. Quanta modestia enim, quantaque humilitas, quis generosus ac incorruptus candor in PAULO perpetuo fuit? Quis unquam in dictis ejus aut factis, tum gestu ac moribus, affectatum quicquam, & fictum arte; aut temporis causa vafre assumptum ac callidè, notavit ac deprehendit? Simplicia omnia, & intemerata, & sine fuco atque fallaciis, ad morem majorum & innocentiam, composita erant. Ut nec inficeretur seculi vitiis, & inter publicos ac bonos mores innoxia vita decurreret. Multis præclaris ingeniis subinde verba



ba dedit ambitio: nec tantum modestiæ ipsis abstulit laudem; sed equitatis quoque ademit. Nam plus, quam par est, memores sui, & tot bonorum conscientiam elati, dum rapere malunt, quam expectare, quæ sibi putant deberi, quas comminiscuntur artes callidè, quas frequentissimè instruunt machinas? Quæ, cum non habeant exitum, sæpe descendunt ad vim, & movent turbidè omnia si extorquere manu possint, in quo solertia ipsorum ac preces fuerunt frustra: vel ut dolori suo litent tantum, nec videantur impunè contemti. Pessimum genus hominum, & in perniciem Rerum publ. inventum. Quod si procedunt conata rectè, & potiuntur votis, tum fermè ambitioni succedit superbia, eoque adducit plerumque feroces animos, ut felicitatem ac amplitudinem suam, despectu & contumeliis cæterorum tueantur. Ad injuriam propè, ad vilitatem certè, interpretati, si aliis patiantur ævari. Ut maximis dotibus ornatus ROBERUS; ita & consecutus dignitates maximas est: quietus tamen & placidus, & nihil per impotentiam ac pravam libidinem movens. Tantumque absuit, ut quicquam muneris ambierit unquam protervius, ut & oblatos honores recusarit non rarò; nunquam profecto, nisi pudenter ac verecundè acceperit; aut jam coactus. Nam jure suo in eum, cum allegendus in Professorum ordinè, & mox in nostræ Saxonie communem Ecclesiarum curationem esset mittendus, ni Serenissimus Elector egisset, minores infulas, amplissimi Sacerdotii prætulisset fortunæ. Cui admotus firmus modestiæ proposito, nihil mutavit in moribus, & instituti pristini sectam constanter perpetuò tenuit. Itaque cum multi assiduè mortales ventitare ad eum haberent necesse, aut delaturi quere-



las, aut petitori consilium ac opem, nemo in admittendo facilior, nemo in audiendo humanior ac patientior; aut dimittendo benignior, æqvior, utilior fuit. Adeò, ut multi, qui dignitatis in eo veri personam, cum metu & trepitatione accesserant, mox pleni gaudio recedentes, sibi propemodùm oïdo essent, quod mores Antistitis humanissimi ex aliis causis potius, quam ex natura ipsius, æstimassent. Eadem bonitas & moderatio aderat, cum irascendum muneris causâ, & indignandum vitiis esset. Namque cum satis factum officio, & ementationis spem poenitentia afferret, nihil manebat ex iracundiâ; neque timere necesse erat, quem culpæ confessione, & execratâ mente malâ, & datâ in meliorem frugem fide, placasses semel. Hoc morum temperamento & retinebat Episcopi reverentiam, & charitatem Patris merebatur. Jam quæ vivendi disciplina ipsi cum suis, quæ laris domestici sanctitas erat? Quem nemo ingressus unquam est, qui non industriæ, & continentiæ, & frugalissimæ gravitatis laudator recesserit. Nemo magis profusam istam in apparatibus convictibusque luxuriam detestatus est: quamquam exemplo magis, quam dicto: cum & proficere intelligeret magis, qui faciendo docerent. Contentus itaque removisse sordes, splendorem lautitias & sumtuosos instructus remittebat iis, qui seculi morem, quàm Servatoris simplicitatem mirari malunt. Cujus exemplum nisi Sacerdos exprimat, auctorem propemodum muneris sui inficiatur. Ubi igitur sunt, qui nisi ficedulis impleantur ac turdis, perire fame se credunt? qui Chium & Creticum nisi in pateris suis spumare viderint, horam bibere, putent? qui holoferrico bombycinoque vestiri vilius, saccum & cineres interpretre-



terpretantur? Veniant, inquam, & ab ROBERO, nostro discant, magnos etiam viros sine pompa & fastu tueri nomen, nec in inanibus & nocituris divitiarum ac dignitatis fructum statuere. In magno ambitu voluptatum, vix potest teneri sanctitas; & quo successu suadebit aliquis, longè ante corpus habendam animam, qui in curanda cute sua plus æquo ipse, & unicè prope, sit operatus? De pietate diu ante dictum oportuit. Sed ab imo in summum enitendum est. Et solent principes non præcedere amicos, sed sequi. Quare si ultimo loco inter virtutes ROBERI commemorabitur Pietas, non id auctoritatem ejus minuet; tuebitur potius atque attollet. Utinam autem toto eloquentiæ flumine inundare nunc possem, & de Virtute maxima, non nisi amplissimè dicere! Sed ea copia à rivulis nostris cum expectari haud possit; in restat, ut dicam de ea, in quantum fas est: si quanta ipsa sit, explicare haud licet. Itaque cum universa ratio ejus, partim in recto sensu de DEO; partim in vero cultu ejusdem posita sit; utrumque caput ita implevit ROBERUS perpetuò, ut eruditissimi cujusque de nostris sinceritatem, & antiquorum devotionem atque ardorem abundè æquaret. Nam disciplinam veritatis æternæ ut semel induerat animo, ita retinuit constantissimè, intrepideque professus est semper: quin ut magister quoque ejus ac Doctor publicus, non tantum interpretatus est disertissimè, ac incorruptissimè, verum & contra hæreticorum petitiones omnis generis & machinas improbas fortissimè juxta & felicissimè hætenus vindicavit. Hoc testimonium ipsi uno ore hæc Academia nostra nunquam non reddet plenissimè: & documento præterea erunt tot scripta ejus ac libri, quos aut jam edidit hætenus,

aut



aut mox edendos reliquit in scriniis. Neque enim permittent hæredes, ut lateant ibi, atque luctentur cum blattis, aut paucis profint, qui erudire christianum orbem saluberrimè possunt, & quia eidem scripti sunt, debent. Quos eam ob causam & nominare in præfenti supersedeo, ne recitatio titulorum ipsorum operum desiderium incendat magis, quàm ferri ut nequeat. Jam quas ROBERUS DEO preces, quos hymnos ac Psalmos, aut saltem suspiria & intra animum concepta vota, quam assiduè, quam castè offerebat? Quo mentis igneæ affectu, atque fiduciâ salutem Ecclesiæ, necessitates patriæ, commoda omnium denique, ubique & semper sanctissimo Numini commendabat? Nam præter solennia sacrorum, quibus religione publicâ litare DEO solemus quotidiè, statas quoque præcationum, reddendarumque laudum divinarum horas ordinaverat domi: cum ipse chorum eum, tanquam legitimus Præsul, ducens, circumfusæ familiæ affectu & voce efficacissimè præiret. Id enim plus erat, quàm præcepisse. Nec bonum patrem familias magis studere aliud par est, quàm primò omnium ut vacet crimine: deinde ut mores suos familiæ induat: & si se reddere meliorem haud possit, similem tamen sibi efficiat. Quod nisi fit, vel semet ipsam pessimæ indolis, vel dominum arguet negligentem. Non frustra hoc loco retulero, quam fidem ROBERUS, ac curam sollicitam, quos indefessos labores perpetuasque vigilias ad obeundas officii partes attulerit. Hæc omnia enim non sibi magis atque officio, quam DEO præstabat: cuius se genere vicem, tanquam actorem aut procuratorem aliquem: cui reddendas esse olim villicationis suæ rationes, ut auctori ac Domino, & probè & semper recordabatur.



dabatur. Id unum igitur noctes ac dies agebat unice;  
id reputabat assidue apud animum intentus ac cautus,  
ne quæ corrumpere gregem labes, aut diminueret vis;  
& jus commissæ tutelæ inviolatum sibi maneret ac in-  
tegrum. Sed quoniam non illum sanctissimum affe-  
ctum tantum, quo veneramur DEUM ac colimus,  
sed abundantiam quoque amoris, quo DEO proximas  
potestates; tum genitores parentesque & ceteros no-  
stros affectus prosequimur, Pietatem vocamus; in ista  
& parte, quam præclare ROBERUS versatus fuerit,  
nunc opportunè subjiciemus. Reperiuntur inter Sa-  
crorum Præsules qui fictæ humilitatis ultimæ titulo  
servorum servos se solent vocare: cum eò mox arro-  
gantiæ progrediantur, ut eminentissimas etiam seculi  
potestates se evehant suprâ, & sceptrâ omnia subji-  
cere pedibus ac impotenter calcare; prærogativam mu-  
neris putent. Non ignorabat ROBERUS sublimi-  
tatem officii sui: sed majestatis etiam jura optimè no-  
verat: & itaque cumulatè reddebat semper, quæ de-  
berentur Principibus, quibus se ipsum subiectum  
quoque nunquam non reverentissimè agnoscebat.  
Neque enim tiaras ac sceptrâ in terras ideò destinat DE-  
US, ut corporum nostrorum salutem tueantur tan-  
tum, sed animorum felicitati ut quoque prospiciant.  
Quas partes licet delegent Sacrorum præsidibus, supre-  
mum regimen tamen sibi & illis reservant, quos in con-  
silio sui & curæ partem sibi adjunxerint. Cujus uti obli-  
tus minimè erat ROBERUS; sic diligenter officii sui  
recordabatur: & quò præstabat id abundantius, hoc  
magis diligebatur, ab illis, quibus hanc cultûs observan-  
tiam deferebat. Possim non pauca hujus generis argu-  
menta adducere: sufficit tamen retulisse honorem in

PAUL-



PAULLI suprema prolixè collatum. Quæ destinatis Legatis splendidissimis, quos nunc adesse etiam cernimus, & Pater Patriæ, & eminentissima ejus ac incomparabilis conjux, nec non altera nostra spes, non dispar maximo Patri filius, ipse maximus natus, honorarunt magnificè: inq̃ve eo testati sunt, cum quanti videntem ac vivum ROBERUM fecerint: tum quàm nunc lugent atq̃ve desiderent mortuum. Neq̃; enim quis temerè ejus magnoperè curet exequias, cujus vitam ac mortem juxtà æstimet. Non dissimulanda hæc pietas Serenissimorum Principum; quin plenum potius illi reddendum testimonium fuit. Namque qui bona fide DEUM colit, amat & Sacerdotes. Ad privatos affectus transiituro de charissima conjuge primò dicendum est. Quam incredibili studio, amore, sanctitate complexus PAULLUS perpetuò est. Et merebatur illa his coli officiis, quia tanta pietate in virum, tanta constantia etiam fuit, ut neq̃ve ad ministeriorum propè conditionem dubitaret descendere, æqvatura sedulitate, quæ charitate ac fide superabat. Porro maritum tam bonum ac pium, quis durum atq̃ve iniquum Patrem crediderit? Certè amavit & liberos PAULLUS, ut oculos suos: imò ut viscera sua, eorumq̃ve salute & cura nihil antiquius habuit unquam aut prius. In id incumbens præcipuè, ne aliis potius, quàm ejus moribus noscerentur, cujus & sanguinem ferrent. Ac frugi liberorum indoles cum Genitoris præcepta non imbiberet tantum obsequio facili; sed actu præstaret assiduè, perinde felix pater erat, ut pius. Si de supremis viri documentum licebit capere, haud futili conjectura colligere possumus, summa quoque ROBERUM in suos parentes pietate fuisse. Non ita multò antè, quàm vitâ decederet,

ret,



ret, persuasit sibi, ab amantissima matre vocari domum. Cui amabili mentis errori sic indulgebat, ut nullis hunc sibi eximi rationibus pateretur. Itaque nihil aliud facere, quam maturare profectioem animo, seque ad iter accingere. Haud integrum sibi ferens, charissimorum iussa negligere. Et boni filii esse, praeverttere etiam Parentum imperia; strenuè certè ac sine cunctatione exequi data. Erat hoc ludus quidem ac visum inane, sed ab impulsione sanctissimi in parentes affectus illi oblatum. Qui cum recurreret, has fabricabatur imagines scilicet, & menti morbo debilitatæ objiciebat. Ne clausula solenni careat carmen, & in eodem ut terminetur oratio, quò finiit vita, de eo ipso quoque reddendum erit non nihil. Nimirum hic circulus ille, hic orbis est, quo omnes decurrimus: nascimur parvuli atque ploramus; cum adolevimus, agimus partes inter labores infinitos ac turbas, tandemque eximus theatro, cum ignominia, si steterimus malè; tunc pulchrè functi officio, sequenti favore ac plausu, qui & ROBERO à nobis prolixè debetur. Supra biennium est, cum tentaretur morbo, qui non tam vitæ usum, quam vitæ officia everteret. Cum pateretur ex valetudine, quod grandi natu ex ætate sæpius solent; qui intercepta memoria rerum in primam annorum simplicitatem, velut admoti initiis, jam recurrente orbe in se, repuerascere denuò solent. Sed diuturna valetudine implicitus, brevi ac celeri fato peractus est. Nam paullò post, cum iisset cubitum, in morè attoniti, stupere toto corpore cepit. Cumque remediis nullis motus, & mens reduci possent, factum est, ut moreretur antè, quam semetipse sentiret mori, aut qui curabant circum, intelligerent propè. Quod si interpretabimur rectè, felici-



licitati cuiusdam est deputandum. Nam quotus quisque non facilem sibi, & inter dolores ac cruciatus varios non diu tractam mortem expetat? Profectò hoc non tam mori est, quam somnum sumere: qui sine omni molestia labores diei, ut sine dolore mors istiusmodi vitam finit. Neque de lecto expergiti tantum, verum de tumulo etiam surgimus: & eò surgimus, ut novam & meliorem vitam redauspicemur. Hæc fides nostra, hæc spes communis Christianorum est: quam solam retinuit, quum cætera amisisset ROBERUS. Nec enim opprimere eam poterat morbi vis, cum soli corpori incumberet; & ista in intimâ mente servaretur, Quam excitaverat paullo antè precibusque ac hymnis, quos decantarat DEO, cum peteret somnum, in mortem ipsam continuandum. Eruditorum observatio est, Aristotelem cum Peripateticorum familiâ aut agnovisse fatum nullum, aut ita appellasse naturam. Nihil divini igitur intervenire humanis rebus, cum alibi, tum viros magnos cum nasci & mori contingeret. Quod si non aliud fatum est, quam providentiæ divinæ iudicium, seu dispensatio eorum, quæ providentia decrevit, quod sentiebant Platonici; mirum non est, negasse & fastulisse Aristotelem fatum, quod providentiam sequitur; cum providentiam ipsam negarit, quæ antecedit. Quanto melius Ille Homericus Nestor Telemachum putabat nec nasci talem sine Diis, necadolescere potuisse? Quanto verius Seneca negabat aut bonum virum sine DEO fieri, aut magnam cuiquam mentem contingere: Si messes opimas, si largum uberemque autumnum; si cæterarum rerum latissimas copias ad benevolentiam Numinis ac pietatem; rubigines contra pluviasque immodicas, tum fulminum ja-

ctus



Æus atque incendia, ad iram ejusdem atque vindictam referre consuevimus; quidni egregiè rebus nostris cupere DEUM existimabimus, cum excellentes ingenio, virtute, doctrinâ, viros humano impertitur generi; & rursus averso â nostris commodis & alienato animo esse, eosdem cum tollit? Est quidem naturæ institutioni ac ordini imprimis conveniens, ut quæ maturuerunt, senescant; & quæ senuerint, decendant; & quartum ac sexagesimum annum agente ROBERO, quid mirum, si graviores ætatem finis exciperet? Sed minimè existimandum, Rectorem orbis, non nisi miraculis prodigiisque aut benignitatem suam testari mortalibus, aut indignationem justam ostendere. Naturæ ministerio utitur; & quicquid aliis causis videtur accidere, id destinationis suæ instrumentum facit. Sic pestilentia, & siccitates, & alia hujus generis mala, ex tempestatibus anni ac cœli habitu, contingere possunt; cum tamen sæpissimè, quod Pythagoræi præclarè observant, non tam ad causas suas hæc omnia, quam ad auctorem DEUM referre oporteat, qui hæc dispensat ac ordinat, non ut naturæ impleant ordinem; sed ut decreta justitiæ suæ adversus delicta mortalium exequantur. Absit omen, & quicquid veteri timidiores animi possunt, eveniat hostibus; cæterum temerè non est, quod nulla frequentiora funera prope hætenus, quàm vetustissimorum Theologorum vidimus. Maximum robur militiæ in veteranorum virtute positum; cum ad tyrones res rediit, quàm in ambiguo atq; incerto victoria est? Perinde comparatum cum Ecclesiâ est: nec unquam majus periculum imminet, quàm cum paucissimi, aut nulli sint super, quorum & cana scientia sit, & cana auctoritas. Multum in-

geni,



genii, multum vigoris ac spiritus juvenibus adest: sed deest ferè regendi & moderandi prudentia. Quò fit, ut dum exultant ferociuntque ætatis bonis, nec caveant satis in præsens, nec in futurum rectè provideant: & acrius plerumque petant certamina, quàm feliciter vincant. Ut itaque navem non remigum robur atque contentio magis, quàm gubernatoris peritia ac sapientia servat; ita Ecclesiæ salus ac incolumitas, non tam ab ingenii viribus, quàm instar remorum obtinent, quàm à maturâ & circumspectâ moderatione, multisque experientis firmatâ sapientiâ, quæ totam molem in clavi effigiem, agit, est expectanda. Redeo ad ipsum ROBERUM: & ita redeo, ut commendatione hominis brevissimâ functus orationi meæ finem imponam. Quæquæ versus in hō Amplissimo Confessu oculorum dirigo aciem, multas ubique & magnas doloris acerbificationes, multa & luculenta gravissimi luctus indicia deprehendo ac noto. Vos, PATRES Conscripti, Collegam ac Parastaten fidelissimum; Vos, Reverendi Ecclesiastæ, Antistitem magni exempli ac ducem: Vos Studiosi Juvenes, Doctorem ac Præceptorem deploratis optimum: omnes ac singuli amisso ROBERO Patrem, pastoremq; communem, ac animarum custodem, lamentabiliter desideramus. Quid hanc atratam cathedram, quid hæc subsellia circum posita loquar? Videntur profectò & illa quendam doloris sensum percipere; quin sensu ac spiritu defici velut, cum eâ se voce orbata vident, quâ in Orphei carminis modum animari quasi atq; spirare hætenus videbantur. Sed nemo majus ac altius vulnus, quàm ipsa Ecclesia, quam Academia nostra in PAULLI accepit funere: hac tempestate imprimis, cum tantis discordiis & dissensionibus res Religionis



gionis distrahitur pessimè, & in periculum summum adducitur. Sed bene habet: sæviant fluctus, tumultuentur procellæ, frangantur remi, decidant vela; Christus in navi est: non potest mergere tempestas vela, cum Dominus tempestatum in partem periculi venit. Magna in Electore Serenissimo, magna in iis, qui ipsi in consilio assunt (ex quibus potissimum te, quippe præsentem, JACOBE WELLERE, honoris causâ appello meritò) magna in vobis, PATRES AMPLISSIMI, in primis, qui Theologicæ cathedræ estis Præpositi, spes nobis posita est. Vobis Ecclesia, Vobis hæc Academia dejecta & squalida lacrimis tendit manus; Vestrum implorat auxilium, vestram deposcit sollicitè opem. Vestræ tutelæ, Vestro certissimo patrocinio, anxia trepidaque se credit. Vos dabit operam, & contendetis nervis omnibus, ut securitatis suæ ac status non spem ac votum magis à vobis capiat, quàm voti ipsius fiduciam ac robur maturè sumat. Quod si à vobis impetraverit (quod auguratur haud vanè) erit profecto,

cur lenius æquiusque hanc ferat jacturam,

nosque de tanto sublato præsidio

parcius doleamus.

D I X I.

Q 2

ORA-





ORATIO DUODECIMA,  
 MEMORIAE  
 VIRI INCOMPARABILIS,  
 DANIELIS SENNERTI,  
 MEDICI,  
 DICATA ET DICTA D. XXV. IVLII  
 A. clb. lsc. XXXIIX.

**V**etus religio est, natales non modò virorum ingentium colere; sed obitus quoque venerabiliter recordari. Ut nunquam non meditanda ad imitationem exempla egregia sunt: sic oportunè cum primis repetimus animo, cum aut concessa terris fuerint, aut iisdem erepta. Ibi testamur lætitiā nostrā de partæ felicitatis copiā; hīc desiderium doloremque ex clade acceptā declaramus. Utrobique pii in illos sumus, quorum & vita commodo, & singulari exemplo mors fuit. Apud Virgilium, qui solus inter Poetas nihil in-ptè molitus est, Æneas, Anchisæ soboles, cū rediisset in orbem annus, ex quo divinum parentem condiderat terrā, festos honores indicit sociis, epulas apparat, victimas cædit; functusque religionibus & ceremoniā Deorum, pompas instituit ac ludos: ut, ne cui tædio esset tristis solennitas, spectaculorum illecebræ teneret. Ego verò cum DANIELIS SENNERTI manibus anniversarium solenne instituturus in præsentī sum, nec defatigabo præconem indicendis muneribus; nec vastitatem macello aut pecuariis inferam, ut  
 vel



vel accumulem mensas dapibus, aut aras carnibus extruam; & satis habebō, si cuius fortunam non licet assequi, æmuler tamen pietatem. Quā quidem laude si non destituar planè, splendoris ac magnificentiæ faciliè carebo. Itaque cū aliud haud possim, vel nudæ officium vocis tantum conferam. Ne cum **SENNERTUS** ipse audiri in præsentē amplius ac cerni haud possit; pariter quoque & ejus memoria conticescat. Quam æternam ac immortalem præstare, ut relinquendum felicioribus ingeniis est; sic provocare illorum indutriam, nec fraudi nobis, & operæ pretium erit. Neque enim silendum sibi sentient amplius, qui intellexerint, vix quicquam dignum Clarissimi viri meritis nos protulisse. Quo magis in ipso aditu statim petenda à Vobis, **AUDITORES**, venia est: ne cum ingenio pariter, nos favor etiam vester relinquat. Qui magnos oratores ut faciliè ultrò ambit ac sequitur; ita minutis & proletariis nunquam contingit, nisi materia ipsos commendet. Quæ maximè addit animos, verbaque facturi erigit spem: ut quam attentionem sibi dicentis conatus promittere vix potest, ejus celebritas ac virtus, de quo dicendum, mereatur. Qui vina commendare volunt, aut Rheni flumen, aut illa felicis temulentiae juga, Gaurum, Falernum, Massicum, canunt. Aliis quoque mercibus ut pretium institores concilient, terrarum & gentium, unde advectæ, vocabula, non sine ambitione quadam inculcant. Magnos viros ut facit animus, ita necesse adeò non est, commemorare in illis, ubi, atque ex quibus nati. Sicut excellens atque egregia mens cœlestis donum est, atque à Deo cum primis venit, ita contingere ubique potest. Non illum aut soli confert nobilitas; aut vilitas



loci contrà excludit. Si patriæ ac incunabilis debere-  
tur, non apud socordissimos Scythas Anacharsis natus  
esset sapiens: nec apud Athenienses catus, Meletides  
stultus. In rure, & inter rastro ipsa adeò, non laquea  
ria aurea tantum, ac aulæa purpurea, adolevere magnæ  
animæ; & qui scripserunt leges populis, qui impera-  
runt latè ac dominati sunt; de casis etiam & gurgustio-  
lis prodierunt. Non reprehenderim tamen Simoni-  
dem temerè, qui inter cæteras felicitatis humanæ par-  
tes illustrem patriam etiam habuit. Ac gratulandum  
adeò Nostro arbitror, quod in Elysiis potius, nobilissi-  
mâ gente, quàm ad Borysthenen Schythicum, aut inter  
deserta Nomadum, hauserit lucem: clarissimamque ur-  
bium Uratislaviam incunabula habuit pariter, & pri-  
mam incudem morum, ac officinam. Manat quidem à  
DEO, tanquam ex sole demissus radius, cœlestis animi  
vis, quæ nos virtutis & maximarum artium capaces fa-  
cit: sed ut emicet illa, & adolescat quasi, roburque ac  
vires accipiat, fomentis externis etiam indiget: nec ex-  
citanda solum exemplis egregiis est, sed moderanda  
etiam disciplinis præclaris. Quarum rerum ut non  
ubique copia suppetit, ita illustribus civitatibus vix un-  
quam deest. Nam neque esse tales, nisi per viros ex-  
cellentes queunt; & hos, cum supra alios dignitas fa-  
maque poneret, virtus & sapientia evexerat antè. Re-  
fert idcirco non nihil planè, ubi quis natus olim sit; in-  
ter quos mores & disciplinas increverit prima ætas &  
adoleverit. Quæ ut tenerrima est, & ceræ instar mollis  
ac sequax, ita in quæ exempla incidit primùm, eorum  
formam accipit & tenet Nunquam non Uratislavia Vi-  
ris magnis, & omni laude excellenribus aut incunabula  
præbuit, aut domum. Hic DUDITHII, hinc MO-  
NA-



NAVII, CRATONES, BUCRETII, SCHOLT-  
ZII, & plura alia illustria nomina, aut patriam sibi in-  
venere, aut larem. Invitante quodam elegantiae Genio,  
qui se ubique per urbem insinuat, & luculentis indicibus  
passim prodit. Hic ergo cum lucem ac spiritum hau-  
sisset noster, ubi nihil propemodum, nisi eruditum ac  
cultum, & quovis animo liberali maximè dignum, vi-  
deret; quid mirum, si literarum & honestissimarum  
artium amorem vel maturè induit animo, vel indole  
ipsa statim ostendit? Patrem NIKOLAUM habuit,  
non generosum illum quidem, sed virum bonum ta-  
men. Quod unum nomen plus veræ ac solidæ laudis  
habet, quàm si in titulis ejus plurimas gentes recen-  
seam, vel victas ac domitas, vel regnatas. Quod præ-  
rogativæ, ut vis & scelus invadit haud rarè; sic illud, ni-  
si virtus & probitas mereri non potest. Quæ quia præ-  
clusa nemini, & omnibus patet; nec in SENNERTI  
patre Calcearium fastidivit amplecti. Atque ex eo du-  
xisse genus, non magis fraudi esse nostro potest; quam  
Socrati fuit, quod pater ei marmorarius; aut & Euri-  
pidi, quod olitor contigisset. Nihilò secius enim uter-  
que ad summam gloriam pervenit: & ille mortalium  
omnium sapientissimus, hic Poetarum æstimatus. Præ-  
termittenda nec mater est, CATHARINA HEL-  
MANIA; ac propter dotes egregias, vel singulari  
laude commemoranda. Nam quod concepit ac edi-  
dittam nobile pignus, tum naturæ, tum sortis, tum  
utriusque est: quod aluit, fovit, educavit; ac ita qui-  
dem, ne quid decederet deposito tam grandi; eumque  
se exhiberet SENNERTUS, quem olim natura for-  
maverat, cum summum Medicinæ vatem in ipso  
moliretur, prudentiæ fuit ac pietatis. Vix adole-



scientiæ spatia erat ingressus, vix ruditatem ætatis primis absterferat disciplinis, cum necessitatis ultimæ lex patrem ipsi ademit. Quam ob rem non tam concussa hoc fulmine nutare videbatur adolescentium studiorum spes, quàm penitus fermè jacere prostrata. Erexit tamen illicò mater optima; & quod erexerat magno animo, prudenti firmavit. Parum existimans, genuisse magnum ingenium, nisi educeret quoque; & quale conceperat, repræsentaret. Non illam sinistra quorundam adversus literas remorabatur interpretatio; non sumtuum ratio deterrebat; thesauri loco habebat filium: & eum ut tueretur, cætera faciliè contemnebat. Quare nec detreçavit peregrè alere, quæ sustentarat vota hæctenus domi; & ut in suum fastigium excitaretur præclara moles dedit operam; cujus fundamenta videbat tam egregiè jacta. Ex prodigalitatis pulcherrimæ genere & lucraturâ sibi pietatis gloriam, & ingens publico emolumentum. Quò omnia nostra referenda. Viginti annos confecerat, cum Academicis studiis initiandus Leucori nostræ civem dedit: instructus comœatu uberrimo eruditi & cupidi perquam discendi animi, & bonæ mentis: cui rectores ac duces dederat, hinc temperantiâ, inde pudorẽ. Neque enim nisi horum auspiciis affectus animus egregii aliquid aut unquam concipere, aut gerere potest. Quare non ille Juvenum more, qui studio ù libertatẽ in lasciviam vertit, referre segniter otium ad voluptates ac temulências; sed hoc vacare magis disciplinis egregiis, quò aliarum curarum ipse liberior esset. Impetratâ Philosophiæ laureâ Medicinæ studio se dedit. Non tam suapte spõte; quã excitatus illorum vocibus, qui paulò benigni de ejus ingenio, quã ipse per  
mo-



modestiam poterat, sentiebant. Quæ ut egregias aliorum dotes æstimat liberaliter, ita vix unquam satis agnoscit suas; & dum prolixè aliis omnia tribuit, sibi plerumque maxima demit. Evenit facillè tamen quod DEO erat cordi: & quicquid de nostro destinaverat Numen, benignè provexit. Jam deformatus, jam lineis omnibus expressus descriptusque erat ille SENNER TUS, qui ingenii & admiratione doctrinarum, quibus instructus, non modò Wirebergam nostram, aut Saxoniam; sed universam Germaniam, & omnem adeò conversurus in se Europæ orbem esset. Id tantum restabat, ut partes quædam tollerentur immisso lumine altius, aut exaturantiùs inductu colore luculentiùs paullo ostenderentur. Ne tanquam in Apellæ aliquâ tabulâ deesset quippiam, tum consummandæ artificii gloriæ, tum decori ac gratiæ conciliandæ. Hoc consilio Lipsiam, Jenam, Francofurtum ad Viadrum adit; congressusque cum prudentissimis ejus artis tandem Berolinum concedit. Urbem amplam & copiosam; nec tantum florentem civibus, sed aliis quoque laudibus præcipuè verò Serenissimorum Marchionum, penes quos Septemviratûs Imperii dignitas est, comitatu illustrem. Hic tanquam in splendido aliquo theatro, exhibere se noster Roscius, artisque pericula facere. & exercendo adeò exprimenta capere volebat, quantum discendo hætenus profecisset. Unum deerat, testimonium publicum, seu gradus, ut vocant: qui instar patroni hunc Candidatum deduceret in campum; aut quasi titulus ac index nobilissimæ mercem commendaret. Quâ in parte, ut sibi non modo, sed aliis quoque, quibus nuda virtus suspecta propemodum, ne deesset, consilium petendæ dignitatis, & Basileam

Q 5

pro-



proficiscendi, capit. Sed cū in adornando itinere esset, aliud ab amicis præcipuè verò JOHANNE GEORGIO MAGNO Berolinensium Medico, quem intimum semper habuit, persvadetur. Et jam occulto ductu fati vis, quæ omni consilio valentior est, Wittembergam, ut novum decus ac ornamentum adderet, ipsum trahebat, oblata compendiosiore viâ, id, quod spectabat, consequendi. Hac cū venisset profectus, ut sedulam formatricem studiorum habuerat antè, sic dispensatricem honorum benignissimam tunc est expertus. Fautricem verò usque adeò, ut post hospitium, quod comiter hætenus præbuerat, jam domum ipsam & certum larem prolixâ humanitate offerret. Insitum naturâ mortalibus, amare patriam: & quæ produxit nos tellus, miris illecebris assiduè trahit. Quid erat Ithaca aliud, quàm incultus merus mons saxumque asperum; & ei Ulysses tamen beatos Alcinoi hortos posthabet; nec tam tenere ejus animum Nympharum secessus mollissimi, & illi ipsi divini possunt amplexus, ut non de patriæ tectis exilientem malit videre fumum, quàm vel delicatissimis deliciis, & ipsâ immortalitate adeò ibi frui? Noster, ut semper hætenus respexerat domum; ita tum patriam maximè cogitabat. Ratus, non vitam ipsam & spiritum tantum; sed eorundem fructum quoque atque usuram ei deberi. Piè sanè ac religiosè; nisi quod consiliorum electio penes nos est; eventus omnis penes Deum. Qui universo non modo providet, sed singula membra etiam curat: nec magis rerum ac mundi ordinem temperat, quàm fata fortunasque hominum disponit. Ceperat commodum sub illud tempus vacare inter Medicos locus: in hunc ut digna virtus succederet, non jam suffragiis tacitis

tis



tis legebatur SENNERTIUS; sed clarè atqve palàm depolcebatur. Qui pro se tamen ut vellet audere, quibus machinis erat expugnandus? Usqve adeò premebat modestiæ suæ legem, & quicquam niti, non eruditionis fiduciam; sed ambitionem interpretabatur. Suscepit tamen eas partes, & designante Academiâ, & ipso Principe Illustrissimo, FRIDERICO WILHELMO, qui tutelari jure tum summam rerum administrabat, jubente; cui accuratè, atqve ex meritis commendatus erat. Nescio eqvidem, incertusqve sum, ecquid hòc loci potissimum mirer. An, quod vix sustineret petere Noster, ne morum proderet disciplinam; singularem verècundiæ laudem; an, quod vel offerendum centuerint Academiae Proceres, quod tanta virtus merebatur, quæ summa sapientia fuit? Nam reprehendendi vanitatem seculi nostri dicam, an stoliditatem potius, quanta hîc sese materia daret, cum quò quis impudentior fermè in petendo atqve audacior fuerit, hòc & in impetrando felicior esse consuevit? Multi, priusquam adipiscuntur honores, egregii habentur & digni maximis, cum fallant postea, cum sunt adepti. Sive quod magnæ humanarum mentium latebræ sint, & callidissimis etiam imponi queat: sive quod in eundem haud semper cadat, & scire, & facere præclara. Nonnulli sic quoque comparant se, ut nihil nitendum ultrò putent, cum semel in manibus terræ fuerint: munusqve ac dignitatem, non tam virtutis stimulum habeant, quàm præmium potius exhausti laboris, & portum quasi, ubi quiescant. Noster cum semel se addidisset in ea spacia, quæ designat ores legitimi aperuerat, cum se gessit, sic se exhibuit supra triginta ipsos annos (nam altero hujus sæculi cooptatus in Medicorum Ordinem est) ut quanta ingrediētis fuisset

set



set modestia, tanta & decurrentis vis atque strenuitas spectaretur. Ac nemo esset adeò, qui non SENNER-TUM omnes & boni Medici, & Professoris numeros ita implere existimaret, ut anteferet ei neminem, paucissimos verò in isto genere poneret pares. Nam profitendo non tantum ac differendo de cathedrà; sed lucubrando etiam domi, condendoque monumenta æterna, & promovebat Medicinam quotidie, & exornabat. Testes pulcherrimi, & omni majores exceptione, tot missi ab eo in lucem libri. Quibus & suum præclare erudit seculum, & post venturas minificè instruxit ætates. Quibus mansurâ non minùs famâ intererit, quàm suâ non defuit illustrandæ. Nempe sic comparare se decet viros doctos, quemadmodum boni Patres familias solent. Qui ita in fundis suis versantur, sic agros colunt & hortos, ut familiaribus inde non tantum prospiciant; verum ad alios quoque industria suâ porrigant fructus: atque vel posteris etiam provideant. Qualis Cæcilianus ille in fabulâ

*Serit arbores, quæ alteri seculo profint.*

Eruditos quoque quàm procul esse ab invidia; tam dare operam par est, ut quicquid bonorum assiduo studio atque labore partum habent, de suis thesauris liberaliter promant; nec cum præsentis modò ætate vivâ voce, sed insequentibus etiam seculis perennitate literarum communicent. Quam sibi laudem adeò propriam fecit Noster; ut vix eorum aliquem, qui longè lateque nostrorum corporum curam agunt, aut inveniri in præsentia, aut post deinceps futurum autumem, qui non SENNER-TO multum, vel jam nunc debeat, vel debiturus in posterum sit: oque peritior habeatur Medicus, quo studiosior



diostior olim in versandis ac evolvendis ejus fuerit scriptis. Quorum cum haud pauca edidit haecenus, tum omnia tantò majore applausu ac admiratione excepta publicè sunt, quò & absolutiora ipsa essent, & plus utilitatis promitterent. Quare hunc exantlati laboris fructum tulit, ut quod ab obitu demum alii decus vix sibi audent sperare, id vivus abstulerit; & nihilo secius nunc quoque à posteris expectet. Qui vehent semper iisdem laudibus, quibus interfuit ipse olim. Nisi quod quæ defunctos gloria sequitur, augustior fermè magisque sincere esse soleat; dulcior ac delectabilior, quæ vivos manet. Interim tamen non eadem omnes fama amplectitur: nec pari gloriâ intelligentia scriptorum ac eruditio; & ipsa solertia operum celebratur. Illam & cogitationum subtilitas, & ingens optimarum rerum, quibus scientia constat, modus tuetur facilè, & admirabilem etiam facit: hæc, nisi acceperit explicandi vis atque facilitas, decoraque commendet oratio, ut intra famam non sit, at intra gloriam erit tamen? & quò ad gratiam, hoc quoque ad laudem habebit minus. Quicquid SENNERTUS monumentis victoris posteritati tradidit, ut omnes consummata doctrinæ numeros implet largiter; sic nullâ alia laude caret, quæ magni auctores legentium studia mereri solent. Nam neque docendi via ac ordine planius quicquam aut explicatius est; & dictio ipsa nec tortuosa atque difficilis, nec barbara etiam aut planè inculta. Quæ si fortasse in Rhetorum thronis haud tollat clamores, ac plausus, tamen in Philosophorum scholis maximè probatur. Quam apertam, perspicuam, candidam, plenam pudoris atque modestiæ; nec in elegantem & hispidam tamen, sed instar matronæ, quantum necesse ad honestatem.

de.



decenter ornatam, si esse contingit, vel absolutæ eloquentiæ laudem habet. Sed explicandi docendique virtutes noster ex Philosophiâ, cujus magnum in eo studium semper fuit, hauserat: nec ineptam & facilem dicendi ac enarrandi copiam literarum humanitati debuit, & mansuetioribus istis Musis. Quas sicut amare puer ceperat, sic nunquam fastidivit senex, & usque dilexit. Quâ in re duo consecutus est: ut vigilæ ejus ac lucubrationes non doctis modò satisfacerent, sed elegantioribus quoque ne tædio essent. Et demereri utrosque, perfectæ laudis statuebat. Quare & fama gloriaque ejus hîc evagata latius, omnemque complexa est eruditum orbem, quò fundamentis solidioribus opera pluribusque subsidiis innitebantur. Ac factum adeò, ut non Germania tantum mater, quacunque patet, SENNERTI nomen; sed tradux etiam atque vicina Belgarum natio, & alius orbis vetustis seculis, Oceano undique circumfusa Britannia canat. De humanissimâ autem Gallorum gente, quid dicam? Quæ amat colitque; haud tantum; sed gnava in recudendis Nostri scriptis tueri etiam studet? Quid de Italiâ, magistrâ elegantiarum veteri, & omnis propemodum humanæ sapientiæ lare? Quæ adhuc memor magnitudinis pristinæ, & quiddam altius spirans, ut restauratarum sibi non modò artium ac disciplinarum decus; verum ingenii atque acuminis etiam laudem, avida gloriæ, vindicet; SENNERTUM tamen maximè admiratur, & ejus nomini nunquam non libentissimè assurgit. Nec nunc agendum nobis judiciorum, opinor, more, testibusque ac tabulis dictorum fulcienda est fides. In laude versamur, quam æquus quisque ac bonus ultro, & sine juratore admittere consuevit; non verò in  
lite



lite & controversiâ. Cùm quia negat alius, & alius ait, qui viderint, audiverint, deprehenderint, produci oportet, quoties rerum veritas solius ingenii industria investigari haud potest. Aliàs infinita hujusmodi se darent ad manum operata scriniorum rimanti, & si quid literarum conditum ibi, excutienti. Quæ omnia si vellem proferre ac edere, non horæ unius, sed verò diei integri aqua postulanda esset. Id unum commemorare exempli gratia interest, Illustriss. Dominum NICOLAUM SAPIAM, Codeni Comitem, & Magni Ducatus Lituanici Vexilliferum Supremum, Patavinorum Medicorum consilio, quorum magna per universam Europam semper auctoritas gloriaque fuit; inprimis autem Clarissimi Viri, JOHANNIS PREVOTI, adductum, ex Septentrione ultimo penè, curandæ valetudinis causa tot, millibus passuum, tot difficultatibus itinerum superatis, huc advolasse, seque commisisse SENNER TO. In quo profectò ei id penè accidit, quod T. Livio, illustri Romanarum rerum auctori, evenisse legimus. Ad quem visendum ac venerandum ex ipsis Gadibus, quas finem rerum habere antiqui, profectus nescio quis Romam est, eloquentiæ atque ingenii gloria, qua inclaruerat scriptor nobilis, evocatus. Ac multum quidem reverentiæ inde ac nominis crevisse Livio, persvadeor facile, ut credam; illi tamē, qui in Italiam tantum terrarum marisque emelus venerat, quis tam longinqui itineris fructus constare potuerit, cognosse difficile est. Nam multò luculentius veriusque in scriptis suis Livium videre poterat & contemplari. Quæ ipsam mentis ingeniique pulchritudinem, & hodieque durantem, exhibebant qua homo maximè præcipueque æstimandus. Gaditano itaque felicior



felicior Polonus fuit: qui non vidit tantum atque co-  
 ram admiratus SENNER TUM est; sed tactus in-  
 genti beneficio etiam, cum vidisset, discessit. Ut intel-  
 ligeret, nil supra verum narrasse famam: & pauciora  
 propemodum retulisse: expertus novissimè opitula-  
 torem felicissimum; quem Medicæ eruditionis prin-  
 cipem salutaverat antè. Subit autem mirari, cur qui in  
 tanta admiratione extra Germaniam positus, in sola  
 patria invenerit, cui videretur nauci; & qui vocare in  
 dubium vellet unus suffragiis gentium probatam vir-  
 tutem. Morbi genus est: imaginofum abs re Latini ap-  
 pellant. Quòd observari species varix hòc ægrotanti-  
 bus soleant: quas turbidus, ac sua de sede errans animus  
 sibi exstruit ipse ac fingit. Simile quiddam & eruditi  
 quandoq; patimur: ac quæ sunt nusquam, videmur vi-  
 dere. Si intra modum se malum continet, nihil suavius  
 est, nec ludos ullos præ illo velis spectare. Sed si zuge-  
 scit improbè, & in professam tandem insaniam erum-  
 pit, tum melius certè non tangere est. Ni Hippocratis  
 vinculis stringendum putaveris; aut admovendum cu-  
 curbitas, quòd atram bilem ægrotus deponat. Non no-  
 stra est ratio, libenter de aliis ferre censuram. Nescio  
 tamen, utrumnè hòc intemperiarum genere correpti  
 fuerint, qui hætenus ingeniosi in scriptis SENNER TI  
 esse voluerunt. Quicquid sit, seu aliorum tueri adver-  
 sus ipsum, seu suam firmare opinionem, ipsius instite-  
 runt elidere, multò ni fallor, fecissent prudentiis, si  
 paullò maiorem habuissent modestiæ curam; nec de-  
 bacchati in eum tot atrocissimis essent conviciis, qui ne-  
 mni hætenus inclementer dixisset. Non diffitemor:  
 dissentit Noster à multis sæpius; nec junioribus dun-  
 taxat, sed ipsis antiquis. At petulantia omnis atque ma-  
 lignitas



abest: securusque de reliquis, soli intentus est veritati. Hanc unam quarit, hanc intuetur unam atque spectat: ratus, hoc literatorum nemini unquam fraudi; gloriæ potius ac laudi semper esse. Non in tyrannide vivimus: nec in Republ. nostrâ locum habet, quod Agamemnon olim Achivis dixit, REX UNICUS ESTO. Æquali omnes censemur jure: & ut sit ordo aliquis; eadem tamen potestas est veritatis quærendæ. Censet Plato: dicit sententiam Aristoteles: Hippocrates atque Galenus audiuntur: non cæteris tamen idèò silendi incumbit necessitas. Et in suffragiis, non tam quis dixerit, quàm quid quis dixerit, æstimandum. Latet altissimè demersa veritas. Excussa veteribus plura sunt: non pauciora minorum diligentiam manent. Aperit viam alius, quâ itur ad verum, alius ipsum invenit. Cum suus cuique interim debetur honor: nec tantum effectio nobilium operum, sed & voluntas egregia præmium habet. Contendere & disceptare negotium anceps, tam non illicitum est; quàm in Senatu ac Curiâ sententias committere, quæ in diversa feruntur. Sed abstinendum ab omni verborum amarulentia, & procul habere caninam illam facundiam oportet: alienam eruditorum congressibus, & mulierculis relinquendam, quæ vendunt olera, aut furnos ac balnea calefaciunt. Quæ omnia adèò semper præstitit Noster, ut eruditissimi non modò scriptoris, sed sapientissimi etiam ferre laudem abundè queat. Explicate quæso librorum volumina: observate, si lubet, disputantis mores: num fastus, num supercilium, num juvenilis ferocia ullibi notantur? Quàm nihil cum bile, nihil cum stomacho unquam dicitur? Quàm placida atque tranquilla omnia sunt? ut docere, non præliari

R

videa-



videatur. Nec sapientis profectò est, erumpere in turbas, ac impotente tumultu miscere omnia. Aliter provinciarum quies asseritur: aliter veritas propugnatur. Quæ modestissimum quemque maximè sequitur: intemperantes ac turbidos, dum altercantur, ut ad alia dilapsos, fermè relinquit. Sæpè ne nominat quidem, quibuscum ipsi negotium est: & si quos nominat, vix unquam sine prolixâ laude dimittit. Modestus pariter, nec malignus. Est, cum & Socratis artificio utitur planè: & nec affirmat quicquam, nec negat: contentus in partem utramvis versasse rem, & iudicandi suppedi- tasse materiam, dum nihil interim ipse decernat. Quam divinam modestiam cum nusquam non servet, & liberaliter præstet omnibus, dignus profectò videbatur, ut non aliis, quàm suis moribus, cum ipso ageretur. Nunc tota plaustra conviciorum in ejus exonerantur caput, & quicquid exulcerata mens, ac impotentia furoris acta in præceps, dictare cuiquam atque subijcere virulenti potest, id omne in ipsum evomere, præclarum atque magnificum habetur. Scilicet tuenda majestas veterum est: nec committendum, ut convellantur à quoquam fundamenta temerè immotæ hæctenus veritatis. Esto: labi ac falli quandoque Nostrum contigerit. Homines sumus, non Dii. At flagris & scutica redigere in viam, à qua quis fortè, nec sua sponte declinasset; num come erit atque humanum? In formosissimis corporibus etiam apparent nævuli. Cæli ipsius nunquam tam suda serenaque facies est, quin aliqua nubecula tenuis offulcet. Nec ideò tamen in aspectantium odium veniunt: & multos his ipsis rebus magis delectant. Viderint itaque SENNERTI æmuli, ne fortè in ipsos congruat, quod apud scripto-  
rem



rem veterem legitur: *Invenitur, inquit, & istud hominum genus, qui obire clare bonos, quam imitari malint; & quorum similitudinem desperent, eorum affectent similitudinem.* Scripsit doctissimus Charonensis librum inter plures alios, quo vincere conatur, Herodotum non satis candido atque benevolo animo historiam scripsisse. Quam verè & rectè, nunc non disputo. Et memini istoc negotium agitatum jam olim inter doctos. Hoc nemo negabit, has notas sapientissimum scriptorem maligni atque malevoli hominis pinxisse ibi, ut nullus Apelles aut Protogenes teterrimi vitii imaginem complecti expressius potuisset. Hanc itaque normam si adhibere aliquis, atque ad eam exigere eorum scripta, quibus rogatum hoc bellum cum nostro hæcenus agere libuit, velit; vereor equidem, ut candoris ac liberalitatis laudem tueri queant. Sed illud non agam. *Qui vitia odit, homines odit*, dicebat Thrasea. Et satius est officium pro sua virili facere; quam secus commissa ab alijs exaggerare. Chymix studium primus in Academia ista excitavit Nolter. Ne nobilissima per se & præstantissima, si rectè tractetur, Philosophiæ ac Medicinæ portio diutius, non sine aliorum convicio, jaceret contempta. Quam eò diligentius excoluit; quò plures abuti non ignorabat. Ne aut invidiæ, aut noxæ esset, unde tot impetrari commoda possent, si quis scienter atque peritè in ea verteretur. Sed commendabat maximè, probabatq; còmentum nobile, qua medicinas morborum; non item, qua thesauros ac opes & rætum non regna ipsa pollicetur. Non quòd non posset efficere, quod hîc promittat; sed quòd ab intruse-rit tanto opere, & ut subduceret profanorū oculis penitus tam grande arcanū, tot mira flexum implicaverit



circà, ut satius sit, vel Labyrinthum ingredi, quàm semel tentare has tantas ambages: quas superare atque emergere paucissimis datum; &, nisi Diis geniti, nulli potuere. In exercendâ Medicinâ tam felix erat, quàm gnarus aliàs peritusque artis. Neque enim audaces magis fortuna, quod verbo veteri dicitur, quàm prudentes ac doctos sequi solet. Quam inde Appius suis cujusque moribus fingi, pronunciavit. Cum nullum ægritudinis genus, nulla affectio ullius morbi nihil eorum, quæ intervenire ut plurimum atque accidere solent, ipsum fugeret, cum omnes medendi artes ac vias haberet cognitatas, non temere unquam fefellit eventus. Quem prævidere Medicus prudens; præstare ex voto, nec felicissimus semper potest. Atque id adeò supra Medicum est, quàm Imperatorem supra, vincere semper. Interim tamen uterque functus officio, & suâ laude habetur dignus; si neque hic ignoravit morbi exitum, & imminetia cladum iste prædixit. Neutrum enim sua decepit ars: nec tam scientia ipsis defuit, quam successus. Qui à fortunâ ac fato; sive, ut Christianè magis loquar, à DEO maximè expectandus. Quid Imperatori consilium, quid sua ratio Medico prodest, si immodestos ille milites ac parum audientes dicto habeat; & iste ægrotum, non nisi malæ libidini suæ indulgentem? Jam sine præsidiiis necessariis nec benè suscipi res, nec administrari feliciter potest, si oportunitates temporum absint. Quæ omnia, ut extra nos sunt, sic neuter eorum præstare hæc sibi; & ut respōdeant planè, solus DEUS efficere potest. Infirmam imagini: & quoniam semel cum Imperatore contēdere Medicū cæpimus, videamus & porrò, ecquid ad demonstrandas Nostri virtutes, ab ejus laudibus peti  
com-



commodè queat. Habet uterque quibuscum confligat: hostium copias concidit alter, alter morbos profligat ac delet. Ille, ut securitatem periclitantibus: iste, salutem jacentibus ut reddat. Multa ac magna in bellis per occasiones se præbent. Quas operiri captareque, ut ejus est, qui moretur cautè; sic, uti se dederint, in ipso invadere articulo, festinantis prudenter est. Tamen celeritate sæpius, quæ inimica consilio; quàm morâ peccatur. Quæ & constantiæ propior, & optimas quasque rationes invalescere facit. Quare cum duæ maximæ Imperatorum artes sint, nunc quiescendo rem gerere, nunc faciendo strenuè urgendoq; ; tamen majores semper habiti, qui cauta & tardiora, ne provocarent casus; quàm præcipitia ac immatura, ut tentarent fortunam, fuerunt amplexi. Juxta temeritatem habetur velocitas: sapientiæ affidere cunctatio putatur. Noster quoque, etsi nunquam temporibus deerat, & callidissimè inserviebat; in curandis ægrotis tamen cautior semper, quàm festinator fuit. Quod nescio quàm meticulositatem imperitiæ ac vani; sapientissimi quique prudentiam summam, & rationem maximam interpretabantur. Quibus SENNER TUS non alio animo languentium exercere videbatur curas; quàm optimi quique ac perfectissimi Imperatorum bella gerere. Quorum mentibus intimis perpetuò velut hæc cantilena Tragici insonat:

*Qui magna moluntur, cunctari solent.*

Et noster subinde recogitabat, quod apud Euripidem Jocasta, prudentissima princeps, juveniliter festinanti filio subjicit:

*Consilia tarda providum excidunt opus.*

Dei effigies pariter ac domicilium homo est: creatura-



rum nobilissima, & quoddam compendium universi. Idcirco ejus vitæ illudere, ejus salutem contemptam habere ac vilem, magna impietas videbatur. Quare quò circumspectior cautiorq; in ea tuenda ac protegenda Noster exstitit, eò majorem laudem ac gloriam auferre etiam debet. Obruor dicendi materia, AUDITORES, & dum ad alia propero, nondum me istis sentio absolutum. Nam injicit manum bonitas: & commemoratâ medendi prudentiâ, ipsa non minus amat exponi. Nec certè sileri citra culpam potest. Nobiles illi de Porticu Sapientes finē hominis, juvare hominē; & nasci eā quemq; de causâ statuebant, ut alter alteri prodesset. Non certè omninò dixerunt nihil: & eā lege, ut se cepisse Noster olim existimabat; ita in faciendis medicinis haud aliter sibi versandum, habebat persuasum. Patebat omnibus: audiebat omnes: consilium nemini, nemini opem denegabat. Ac ut impleret officii partes, & suum assequeretur finem, non conditionē in homine atq; fortunâ; sed genus ipsum ortumq; communem intuebatur. Hâc ratione cum omnibus se facilem præbuisset ac bonum, maximum virtutis fructum in conscientiâ collocabat. Nam ut mercedem exigeret, tantum aberat, ut sæpe reddiderit oblatam: & vix acceperit unquam, nisi cunctanter. Exprobrare cuiquam tenuitatem munusculi; tam alienum ejus moribus, ut offerentium pudori ipse prospiceret maximè, proluxa humanitate sollicitudinem excusantium prævertens. Ex quo constare potest, quàm liberalis atq; ingenuus animus, nulla attaminatus avaritia, nec immoderata divitiarum libidine corruptus, ei contigerit. Quas conculcare penitus, & omnē earum curam habere procul, demētis & parum providi; admittere ita, ut præstò essent virtuti,

&



& citra cujusquam injuriam querelamque inculpatissimis rationibus partem constarent, sapientis putabat. Decem ipsi anni sunt, quod, cum tot aliis saluti fuisset, & ejus quoque apponi valetudini ceptus est, in cuius vitam ac incolumitate tum nostra omnium salus, tum Republ. ipsius spiritus vertitur. Ita enim existimabat Serenissimus Princeps, non tam SENNER TI interesse laudium, si suis allegeretur Medicis; quam pertinere ad decus aulae, si is accederet qui gloriam nominis tot gentes ac populos implevisset. Quin ad exemplum facere etiam: ne ignorari putaretur tanta virtus, ubi notam cum primis & honoratam esse oportebat. Atque auspiciis nobile honori novo explicitus morbo ejus potissimum ope ac opera Elector ipsemet dedit. Ut simul & ingrederetur aulam Noster, & ibi esset magnus. Cujus accessionem tamen ac partem summus Ducum hac ratione esse voluit; ut Academiae pariter suum in eo constaret decus; coetibusque discipulorum ne subtraheretur, quod Praeceptore atque Magistro proficere possent maximè, qui arti medendi attendere vellent. Cavens scilicet, ne sui studio publicis commodis deesset. Collegii Medici summam Decanus per vices administravit sapiens: Academiae fascis designatus Rector sexies, quod nemini ante contigisse meminimus, gessit. Tantam integritate, fide ac circumspectione, quanta esse, cum summa est, solet. Sed & quoties alias Academiae tractaret negotia, nihil agebat curabatque magis, quam ne decederet aliquid, aut studiorum honori, aut dignitati profectum, aut publico omnium bono Quae conservare non modò ac tueri; sed amplificare etiam atque ornare perpetuò seper contendeat. Cum invenisset ordinem ac domum, jam de familiam cogita-



bar. Et hanc ut conderet, dispicienda præcipuè con-  
 jux. Quæ custodiret parta ac tegeret; & inde prospiceret familiaribus, & fulcimenta daret generi, patriæ  
 cives: denique solatio juxta ac levamento viro esset in  
 omni fortunæ colore. Cæterum eo fato ingressus  
 matrimonium est, ut ruptum semel ac iterum, tertio  
 esset instaurandum. Primam omnium, MARGARE-  
 TAM SCHATONIAM, ANDRÆ SCHATO-  
 NIS, Viri Clarissimi, qui Medicam artem in Academiâ  
 istâ summâ laude aliquam multos professus annos, fi-  
 liam, adolescentulam, cum vix ingressus esset virilem  
 ætatem; reliquas duas, HELENAM BURENIAM,  
 & MARGARETAM CRAMERIAM grandiorē  
 natu, & viduas, ipse aut jam iturus in senium, aut senex,  
 duxit. Verustissimi præcepti memor, quo congruen-  
 tes ducere jubemur. Nec ignorabat admirandum illum  
 Samium, connubia quoque, sicut alia, ad concinentes  
 aptè numeros, & quandam harmoniæ legem, revocasse;  
 eaque, ut felicia existerent, modulata præcipuè vo-  
 luisse. Has ut ex æquo amarit omnes, in singulis tamen  
 invenit quippiam, quod peculiari illecebrâ, & propriâ  
 quadam Venere duceret animum ac moraretur. Non  
 sine factorum benevolentia: ut ex diversis uxorum do-  
 tibus intelligeret, quæ ornamenta miscenda in unum,  
 quæ constipandæ cum primis laudes, ut absolutum  
 matronæ exhiberetur exemplum. Id autem SCHA-  
 TONIA præ cæteris maximum & peculiare habuit,  
 quod fecit patrem: septies quidem, & eâ sobole, quam  
 genuisse pœnitere nunquâ posset. Non dicâ de filiarum  
 alterâ à non de duobus etiâ filiis, quos aut parvos extulit,  
 aut vix dū adolescētiæ propinquos. De DANIELE ta-  
 cebo etiâ, quē omnium natu maximū, in ipso flore æta-  
 tis,



tis. Patavii, in illustriſſimâ Venetorum Academia, ubi  
tum medicinæ navabat operam, inclytæ Nationis Ger-  
manicæ, quàm Artisticam vocant. Conſiliarius, amiſit  
extinctum, acri & capaciffimâ indole juvenem. De AN-  
DREA autem & MICHAELE ſuperſtitibus, quid  
non eximii atque præclari ſperandum nobis? Quorum  
ille, Collegii Philoſophorum Adjunctus, eâ ſacrarum  
literarum ſcienciâ ac eruditione inſtructus eſt, ut jam-  
dum inſervire Eccleſiæ cum ſingulari commodo poſſit;  
& iſte junior Medicæ arti diligentiffimè incumbit.  
Facili augurio, ſi æquare paternæ laudis gloriam  
haud poſſit, eâ haud tamen degenerare. Nec  
MARGARETA tacenda eſt: quæ Viro Ampliſſi-  
mo, LAURENTIO PABST, Sereniſſimi Electo-  
ris Saxonæ Archiatro, feliciter nupta, mereri & ipſa  
de bono publico poteſt egregiè, edendo prolem; ſi  
non SENNERTI nomen & genus, at indolem ta-  
men, avitæ quæ virtutes repræſentantem. Contigit No-  
ſtro juſti habitus corpus, firmum, nervoſum, temperie  
optima & valetudine, ne in maligna & ruinoſa domo  
habitaret animus, qui longè pulcherrimus ei contige-  
rat, & tot ingentibus dotibus ornatus. Erat quippe  
in eo promta perquam & velox intelligendi vis, excel-  
lens ingenium, memoria incredibilis: cui parare ſubſi-  
dia ab arte quoque, ſi eſſet opus, noverat, quàm ille Chius  
Simonides aut condidit primus, aut invenit. Hiſcùm  
judicii acrimonia & gravitas ſingularis accederet, quid  
deſuiſſe ipſi exiſtimabimus horum, quæ naturam huma-  
nam in ſummum ſaſtigium adducere ſolent? Nec mi-  
rum ideò eſt, tot literas, tot diſciplinās ac artes in unius  
ingenio hominis effloruiſſe, qui tanta naturæ bonitate  
præſtaret. De Medicina cum alibi dictum ſit, nihil nunc

R. 5

repe-



repetendum hōc loci est. Quantus in Philosophia fuerit, tum alia ostendunt, tum vincunt maximè libri illi, quibus naturam rerum non ita magno ambitu, sed subtilissimè tamen executus est. Scientias Mathematicas mirè semper amavit; olim & diligenter excoluit. Senior Optice delectatus imprimis: & inde ejus de umbra adhuc in scriniis conditus, & nondum editus liber insignis. Attigit & Poeticen: nec legit libenter Poetas tantum, sed meditandis carminibus & ipse quoque non rarò expertus ingenium est: vel ludum honestum daturus animo; vel ut ostenderet, quàm amicorum honori ipse faveret. Habebat & hoc in more positum, ut nihil unquam susceperet operis, cujus auspicia non carmine aliquo dedicaret. Musarum delicias pro instrumento juxta habens, & voluptatis innocuæ, & pietatis. Quæ ut est prima sapientiæ ac maxima pars; sic aliena visa haud est, quæ exerceret id artis genus, quæ antiquissima contubernalis sapientiæ credita esset. Atque Poetice sanè, priusquam tota propemodum detruderetur in theatra ac scenas, & obolarii scorti instar improborum cujusque prostitueretur libidini, nusquam libentiùs, quàm inter Numinum aras & penates sacrorum conversata est: ut vel commendaret Diis orantium desideria; vel pro jam impetratis votis redderet gratias, ac caneret laudes. Præter Latinam, & Græcam Linguam haud vulgariter calluit. Ebrææ etiam peritus: neque ignarus Gallici atque Italici sermonis. Otium atque desidiam summoperè semper detestatus est: ignavus, industrius, & si quis alius laborum patiens, ut frugi homines solent cumprimus. Manè surgebat in tempore: deinde legebat, commentabatur, mandabat literis cogitationes, differebat, visitabat



tabat ægrotos, docebat. Vacare ac otiosi vix unquam vidisses SENNER TUM: qui & remissioni dicata tempora ita locabat, ut vel ipse utilitatis inde aliquid, vel illi caperent, quibus cum esset. Quas tantas laudes probitas vitæ & innocentia, & illa quibusvis patens humanitas, mirificè commendabant. Pietatis studium tam curæ semper habuit, ut cætera omnia postponere longè videretur. Cujus rationem ut accuratè erat complexus animo, sic vitâ ipsâ exprimere nunquam non sedulò laboravit. Ne tam sermone ac verbo, quàm ipsâ re esset Christianus. Cujus officium non in sciendis decretis magis, quàm exercendis operibus Christianis consistere, planè erat persuasus. In quo ut rectiùs versaretur, Christianum non-Christianum sanè quàm graphicè delineaverat. Nam quò exactius nosset vitium, hòc sese melius constantiùsqve repræsentaturum, virtutem existimabat. Enimverò & Lacedæmonii ut sobrietatem commendarent pueris: in ebriorum turpitudines intueri jubebant. Et pictor ille, cum simulaturus eqvum esset, asinum sibi proposuit. Ut intelligeret, quod in imagine sua deberet sequi maximè, cum quid vitandum imprimis, coram spectaret. Nec aliò pertinet, qui est jamdudum ab ipso editus de rectè vivendi & benè moriendi arte sapientissimus libellus. Nam mori benè, nec poterit temere, qui malè vixerit antè; atqve vix vivet unquam rectè, qui aut ignoret rationem veram; aut hanc assidue non meditetur. Nam quò intercidunt plura per vitam, quæ avocent animum, abducantqve perniciosius illecebris, ac quasi venenis quibusdam excantent; eò curandus diligentius, & excitandus crebrius est, ne somnū sibi patiatur obrepere in multò tristissimā ac imortalem

qvan.



quendam mortem continuandum. Eiecti per omnem vitam nostri sumus; non ut in minutissimis occuparemur; sed ne quid transiremus ejus, quod luce dignum præcipuè esset. Suprema restant: quæ ipsa quoque juvabit exponere. Sicut fluminum non capita tantum decursusque, sed exitus quoque inquirimus; ita in viris ingentibus post ortum, & quæ cum eo connexa hærent, finem quoque ac obitum non sine peculiari voluptate consideramus. Acquievit D. XXI. Julii, anno proximo; cum nondum IV. decubuisset dies: appetenti fatali termino, qui ut descriptus de pactusque semel erat, ita nullâ ratione humanâ moveri poterat atque proferri. Morbus qui ipsum peregit, ex contagione manarat seu lue, quæ vehementer tum grassabatur. Hôc plus offundens formidinis, quod ipsa præsidia quoque jam occuparet. Delicati hominis est, eligere atque optare morbi quo finiatur, genus: Sapientis & Christiani, nullum quod venerit deprecari. Si nihil in morte ipsâ vitii sit, num quid in causâ inesse potest? Non felicitatem, quæ manet pios in cœlo; non laudem ac gloriâ, quæ magnas virtutes in terris sequitur, aut potest donare ulla febris, aut adimere pestilentia. Nil idcirco interest, quo exigatur instrumento spiritus; quò avolet ille feraturque; hoc refert. Nec est plebejum, & popolare penitus, ex peste mori: solet & sceleris ipsis incumbere, ac post pannorum centones sordidos, & ostium ac purpuram venenare. Tot maximos autem Medicos & ante nostrum sustulit, ut sit difficile numerum inire. Hæc GESNERI, hæc CAPEVACCII, & illi HERCULEI SAXONIÆ, ne cæteros nominem, mortalium cœcibus exempti sunt. Ac tantum abest, quicquam eorum id detrahat gloriæ, ut augeat penè,



penè, atqve amplifiet. Quasi alio morbi genere magni antistites vitæ nequiverint perimi, ni perniciosissimus omnium, & qui plus aliquid, quàm morbus, supervenisset. Natus est anno c<sup>lo</sup>. Is. LXXII. D. XXV. Novembr. sub occasum solis. Itaque omnis ejus vita hactenus in quinque & sexaginta annos, si paucos menses eximas, patuit. Non contemnendum spatium; ni multò amplius sibi aperuisset viri gloria; cui nec tempus nec meta posita est; & finis haud alius veniet, nisi qui literis & omnis generis sapientiæ erit communis. Ego verò, AUDITORES, ut intempestivas lacrimas, quæ fluant post annum; & quàm inania, tam quoque inepta lugendi officia censeam, quæ serò suscipiuntur; non possum tamen sine dolore quodam animi hoc tantum vulnus recordari. Nascuntur quotidie, qui literis studiisque animum applicent; & qui morborum promittant auxilia, passim reperiuntur: SENNER-TOS, aut invenire in præsentī, aut expectare in posterum, nunc arduum multò ac lubricum est. Tot uno in viro amissimus res, quot plures rarò possident. Quæ evehunt singula alios, & vel in summâ ponunt laude, hæc maximam partem conjuncta habuit Noster, & unus, ut ita dicam, pro populo penè fuit ac turbâ. Magna ingeniorum vanitas hodiè; nec minor seculi infelicitas est. Quæ matri scientiarum Græciæ olim, quæ artium omnium Genio, Italiæ tempestates bellorum quondam invexisse novimus, & nostram manere Germaniam possunt. Non Africæ uni, atque Hispaniæ humanitatem literarum Gothicus furor, & sapientiæ studia excussit. Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest: & tam incerta futurorum mortalitas misera est, ut nefas sit scire, quid serus afferat vespere.

Non



Non possunt doceri sine stipendiis literæ ; non absq;  
 impensa ac sumptibus disci. At quotusquisque est, cui  
 de fortunis suis tantum reliqui fecerit armorum furor,  
 unde alere prolem in sapientiæ studia, & digno seculo  
 nomen possit, aut si quis sit, qui non præcipitet vota;  
 vel aliò vertat, unde majoris emolumenti ac nominis  
 spes fulget? Nempe non circumscribuntur bonæ ar-  
 tes tantum, & committuntur cum inopiâ consumptis  
 præmiis; calcantur etiam, &, quod calamitosos se-  
 quitur, contemptui sunt. Hoc magis, quò minus posse  
 in bellis existimantur, quæ sola nunc regnant. Adi-  
 mitur itaque omne pretium literis; & cum Doctores  
 liberalium hunc fermè ex suis vigiliis fructum ferant,  
 ut egeant acriter, & miserè contabescant fame: ne-  
 mo sequendum sibi temerè putet, quod præter derisum  
 atque miseriam vix quicquam promittat. Quid nunc  
 de ratione studiorum perversâ memorem? Quæ tan-  
 ta inolevit dædum, ut nihil auspici ac læti literas au-  
 gurari liceat. Non ordo servatur, non gradus fi-  
 unt. Confusè geritur res: nec tam pervadimus  
 plerique studia, quàm persulcamus. Runt in di-  
 sciplinas, qui primis vix literis initiati sunt: & has, ut  
 olim de Nilo canes feruntur bibere, transeundo deli-  
 bant. Nam Græcâ aut & Latinâ eruditione quotus  
 quisque paullò uberius se implet? Quæ tamen claves i-  
 psum sunt, quibus humanæ juxta atque divinæ sapientiæ  
 adyta referantur. Deus avertat omen, ac irritum faciat,  
 quicquid hâc cogitatione defixus animus timeret: sed vide-  
 or tamen imminentiẽ videre immensam quandam noctẽ  
 literis: quæ, nisi maturè eatur obviâ, & sapientiæ studia è  
 situ, è squalore ac sordibus, quibus oppressa, & fastidita  
 ab aliis, ab aliis concultata jacent, vindicentur, novum  
 chaos



chaos importabit terris, & instar vastæ voraginis humanitatem omnem hauriet ac absorbebit. Nam de Religione, AUDITORES, quid dicam, maximo humani generis bono? Quæ licet innixa opibus propriis, externis præsiidiis nihil indigeat; sic delectata semper est tamen comitatu Mularum ac ministerio, ut destituta his satellitibus, pulsare regno; nec tantum honorem ac decus, sed ingenuitatem ipsam propè, captivi mancipii instar, perdidisse Domina rerum videretur. Convenite memorias veteres, relegite tempora lapsa retrò, quando, aut stetit Veritas, nisi cum literis; aut concidit quoque, nisi iisdem prolapsis? Ut instituit eam in terris condiditque ac sanxit, æterni Patris sermo æternus ac ratio, & Sapientia, quæ nihil ignorat, & unde nostra omnis fuit; sic, quibus digrediens mundo mandavit vices, quod non didicerant sub studiorum incude positi, monstrante spiritu, qui mentibus eorum illabebatur, acceperunt illicò, & differuerunt linguis totidem Sacramenta cælestia, quot universus orbis prope modum loqueretur. Ac his qui successerunt deinceps, quæ eruditione, quæ incredibili doctrina plerique omnes fuerunt? Jam cum Basilii, cum Nazianzeni, cum aurei illi Chrysostomi ac Athanasii (ut reliquos Græcorum taceam) cum Cypriani, atque Ambrosii, & Hieronymi, ac Augustini tenerent suggestum, quanta, per immortalem Deum, Ecclesia luce splenduit? In quod fastigium arx pietatis fuiteducta? Nunquam profectò eorum monumenta divina ætero manibus, & oculis lustro, quoniam hæream tacitus, & quodam defigat stupore; incertus, divinorumne oraculorum scientiam si finem, cum incomparabili morum sanctitate conjunctam; an eruditionem literarum in illis, tam variam, tam infinitam



nitam ac inusitatam demirer magis: Ita omni scientiarum genere, omnium artium ac disciplinarum instrumento locupletasse animum; ac nihil fermè non tenuisse eorum videntur, quibus humani ingenii cultus ac eruditio solet attolli. Postea verò, cum tam recederent ab innocentia veterum ac sanctimoniâ sacrorum præfules, quàm sapientiâ copiamque doctrinæ iustem concessissent dudum; nec præter potentiam ac opes, aut quærerent quicquam, aut mirarentur; factum per fastum eorum atque inscitiam est, ut contaminaretur illicitò religionis puritas, & nescio quibus interpolaretur fucis, donec potitâ rerum undique barbarie oblitteraretur penitus, & plusquam Ægyptiæ tenebræ in universam Ecclesiam, quasi vasta illuvies, inundarent. Quæ dira & illatibilis nox non antè evanuit, quàm vindicari à lituliterâ, & obbrutescenti orbi magis ac magis indies humanitas artium ac literarum reddi cepisset. A qua quò alienior quisque erat, ac magis rudis, hoc quidem securius pro falsitate stabat in armis; & cum in lucem iterum niteretur veritas, eò infestius ei se opponebat. Nam neque cum lucē convenit tenebris: & acerbissimum hostem ignorantiam peritia habet. Contra ea, qui non omninò abhorruissent Mularum consortio, & bonis literis implessent pectus, studiosius fermè, & vestigarunt verum latens, & porrexerunt denuò apparenti manus: certè, se non tam duros ac implacabiles præbuerunt. Sed alibi rectius de nostra infelicitate licebit conqueri: nunc parta tibi felicitas gratanda SENNERTE. Qui eò proventus, ubi & ista, & alia quævis mala, quorum perpetuò nos circumagit metus interris, nec vides, nec lentis. Non de scorbuto inquiris amplius: non de ardoribus febrium  
dispu.



disputas, aut & gangrenæ ac cancri pertentas foetores:  
 DEO conjunctus, amplexus Servatorem optimum  
 cœlestibus gaudiis efflorescis. Quicquid erravit  
 Plato; quicquid non vidit Aristoteles, quicquid Phi-  
 losophi cæteri aut ignorarunt aut irriterunt; Hære-  
 tici verò & cotruperunt, id omne & notas facilè, &  
 planè intelligis, & penitus tenes. Non hîc quietem  
 interturbat tuam aut furor armorum, aut nihilo mitior  
 improbæ linguæ rabies. Quæ in convicia & contu-  
 melias ubi prorumpit, acrius lancinat, & altius lædit  
 non rarò, quàm omnis sævitia ferri potest. Tranquil-  
 la circum omnia, lætaque sunt, atque, ut verbo dicam,  
 cœlestia. Quorum natura quàm à terrenis istis di-  
 vertit; tam posita quoque extra hæc omnia est, quæ  
 daro quodam necessitatis munere sustinenda in terris.  
 Salve SENNERTE igitur; iterum dico, SENNER-  
 TE salve: & hoc, quod in præsentî officium solvi-  
 mus, hanc pietatem nostram, quæ tibi cupimus placere,  
 gratam jucundamque habe. Non æra aut marmor  
 in tuos formamus vultus: non cœlo educimus super-  
 bas moles, quæ simul honorem nominis tui, & admira-  
 tionem oculis injiciant. Parabili materia, & facili  
 artificio memoriæ tuæ consilimus: complexi scripto,  
 quod sumtuosa industria alii & magno opere vix ex-  
 primant. Nam pulchritudo mentis ac forma,  
 nec manu pictoris, nec statuarii artificio osten-  
 di potest, & sola oratione figuratur. Salve,  
 inquam, & iterumque salve, SENNERTE.  
 Quem nec ereptum putabimus, cujus tot maxi-  
 ma pignora retinemus. Spiras in liberis, superstes  
 in libris tuis es. Quorum beneficio nunquam  
 non tuo divino ingenio licebit frui, dum morum  
 S exem.



exemplar interim in optimi cujusque æmulatione  
durabit. Hanc vitam tibi , non casus ullus atque  
calamitas , non pestis ulla aut lues adimet,  
& sola convertet æternitas.

D I X I.



ORATIO DECIMA TERTIA

AD

INVICTISSIMVM ROMANORVM  
IMPERATOREM,

FERDINANDUM. III.

SEMPER AUGUSTUM

HUNGARIÆ BOHEMIÆQUE REGEM,  
ARCHIDUCEM AUSTRIÆ &c.

ALLOCUTIO,

ALTERIUS NOMINE SCRIPTA

*A. cl. l. c. XLIX.*

**C**Um pro ingentibus beneficiis tuis , SA-  
CRATISSIME IMPERATOR, quibus  
adolescentiæ meæ spem (solaturus sic tamen  
Parentis optimi senium , & de communi  
Patriæ re non pessimè, opinor, meritā canitiem, ornare  
juxtā, ac excitare dignatus es , non dispares indulgen-  
tis



tissimæ Tuæ benignitati debere me intelligerem gratias; vereretur tamen, ne prophanus, & parum reverens Majestatis tuæ videretur, si temerè, & solus, & nullà oportunitate temporis fretus, ad missionum tuarum irrumperem sacrarium, adeundi quascunque molliores vias curiosâ seduditate circumspexi hætenus soliciteque vestigavi. Nec non audebam voti mei fiduciam capere, latissimi nuncii cum afferrentur, MARIAM Tuam LEOPOLDINAM AUGUSTAM, exoptatissimam uteri sarcinam, & unde tot novæ gentibus spes lætitiæque deberent emergere, posituram in brevi, primaque editâ prole recuperatæ paullò ante pacis felicitatem obsignaturam velut ac firmaturam. Nam cum in gaudii ejus societatem, quæ tua inusitata bonitas est, invitaturus ultrò tum videbaris tuorum affectus ac studia propius, quantâ cum veniâ sperare poteram in cæterâ turba concurrentium in aulam fectis tripudiis, advolare quoque meipsum posse, simulque & gratulantis cum reliquis, & pro me solo, agentis gratias munere fungi? Fasque nunc esset tenere cupita animo, si ordine suo mortalium vota procederent, nec ex transverso incideret sæpius, quod spes conceptas infringat repente, & quæ præcepimus gaudia, si non evertat, corrumpat tamen; aut hæc conditionis nostræ lex plebem tantum, & istud in parendi necessitatem natum vulgus obstringeret; nec ipsa rerum culmina, ac Deo proximas potestates eodem tam illætabili jugo alligaret. Quid igitur est, quod cupidè adeò petimus optamusque miseri? Quod tanto ambitu nobis solemus promittere? Vix nisi umbra, ac somnium, quod antequam tenetur, elabatur. Ac licet blandiri quandoque, & pleno amplexu ruere in nos videatur fortuna, vix



tota transit tamen, & sæpe, quod donat, ejusmodi est, ut corrumpatur, dum prenditur; aut jam acceptum lætandi dolendiq̃ue misceat causas. Video, quò necessitas tristissimæ adigar, dum nunc dicendum mihi est, quod sine mistura amaritudinis, & acri animi morfu dici haud potest. Absolvit expectantissimum partum AUGUSTA PUERPERA; sed simul ipsa (ô durum, ac miserabile!) absolvit vitam. Vagit in cunis Imperatorius Infans, & in tot natus sceptrorum spes molitur incrementa ætatis, dum in longinquum silentium eminentissima mater finita jacet. Ac nescio, quid faciendum prius in præsentì mihi sit? gratulandumne de novæ prolis accessione, IMPERATOR; an de ereptæ conjugis damno sit condolendum? In ea ipsa quoque quid primò, aut quid novissimè flere oporteat hæreo dubius, & inter ancipites æstus veluti jactor. Num quòd tam viridis atque in ipso annorum ac dignitatis flore; an quod tam recens matrimonii, & vix possessa, erepta est? Nam de sublimitate generis, quo orta, deq̃; divinis virtutibus, quibus excellentissimè ornata fuit, nihil commemorandum: nisi quatenus inde remedium doloris licebit petere, cui locus in iis non est, quæ nec eripi possunt, & semper durant. Tantus Austriacæ gentis fulgor est, ut in nullius funere exstingui possit: nec alium sibi metuendum finem habeat, quàm universitati rerum qui imminet: virtutes autem sicut non corporis, sed animi sunt; ita formæ earum, ut ipsi animi, æternæ sunt ac immortales. Quibus igitur partibus solvi moriq̃ue MARIA haud potuit; neque debet lugeri. Nanquam quidem non tristis clarissimorum obitus accidit; eorum tamen luctuosa inprimis amissio est, qui posse diutius vivere præsumebantur.



tur. Quò minus enim secundum naturam videmur mori, eò mors ipsa acerbior est. Quæ naturalis putatur maximè, cùm jam provecta in gradum ultimum ætas, quò progrediatur amplius, non habet, instrumentis vitæ consumtis. Levior quoque jactura videtur, quorum diuturnior usus fuit: cùm, licet jucunditate nondum desierint capere, ipsa consuetudo longior tamen infringat quodammodo desiderii vim, satietate quasi inductâ. Amarissimum itaque desiderium boni esse oportet, quod cum incredibilem suavitatem attulerit, inter primos ac recentissimos fructus ex insperato eripitur. Non opes, & maximi quamvis exercitus muniunt æquè firmantque imperia, quàm numerosa regnantium suboles: nec quicquam citius Principem contemptum facit, quàm nuda & adiutore & vindice orbitas. Tantò acerbior itaque defunctæ conjugis erit memoria, quæ post experimentum fœcunditatis lætissimæ rapta est; quò plura deinceps datura videbatur præsidia, quibus fortuna tua, AUGUSTE, insisteret. Sed hæc dum tacitus cogito mecum, aut & edissero, non satis meminisse videor status vestri, quibus supremum Numen suas in terris legavit vices. Quorum Majestas ut longè præminet cuncta, ac despicit; sic verisimile est ipsorum quoque animos in illud adductos fastigium, intra cujus sublimitatem oporteat cadere, quæcunque cæteros confundunt ac turbant. Perinde ut mundi superior pars serena & placida tumultu caret; inferiora è contrario procellis fulminibusque obnoxia sunt. Sed veluti Sol, ut damnum lucis haud adeat, subtrahitur tamen visentium oculis, cum fulgentissimo ipsius orbi obtenditur nubes; sic rerum adversa et si vigorem atque constan-



tiam haud adimant principalibus animis, obnubilant tamen: ut quid commune nobiscum videantur pati, quorum obtutus imbecillior est, quàm in altissimam lucem earum ut ferre se queat. Legimus populos, qui in defectu nocturni sideris, & æra quaterent tinnula, & excitarent ingentes clamores. Nimirum timebant stulti, ne interciperetur sibi pulcherrimi luminis, & in nocturnæ caliginis solatia à providâ beneficâque naturâ inventi usus, ni venirent auxilio, & excitarent velut sopitam beneficiis, viresque ac animos redderent defectæ. Sed supervacaneum hoc pietatis officium fuit. Ipsa se vindicat Luna, & quod objectu terræ eripi videbatur jubar, suis reparat opibus, aut potius reddit, simul pigerrimi elementi evicit umbram. Non aliter cum vestris comparatum mentibus est, terrarum Rectores: incidant nebulæ, quæ nobis offuscent majestatis vestræ candorem, ipse nil patitur: & quamvis conditus lateat ac reclusus, sibi tamen lucet in se: appariturus mox toto sidere, & recreaturus orbem suum, in quo deficere paullò videbatur antè. Parum consideratus itaq; foret, qui tuo hõc tempore TIBI, IMPERATOR, solatiis auxiliisque externis putaret opus tantâ non modò sapientiâ Principi, verum & pietate. Neque enim ignoras, quam nos materiâ fragili orsa rerum natura in lucem protruserit; quam nihil æternum simul, ac genitum; aut duraturum in longum sit, quod nominari semel ceperit homo. Non es oblitus conditionis communis in hõc altissimo etiam culmine: nosti Diis similes Principes, non Deos esse, hoc est, immortales. Nec excidit TIBI quo solo minor, sub cujus sceptro positus sis, cum scepra omnia superemineas. Trâquillo & placido semper animo agere, sapiëntia TIBI monstravit:  
à pie-



â pietate habes, sequi perpetuò Deum, & placitis ejus acquiescere. Insurgat fortuna & totis ingruat viribus, nesciet vinci ita compositus animus, & omnes petitiones ejus furoresque ex facili elidet. Si tamen haud Cæsarem tantum ac Principem TE, IMPERATOR; sed hominem quoque atque maritum etiam sentias, quis vertet vitio, qui flere ac gemere nec â divinâ naturâ penitus alienum sciat. Nec nunc Homericos Deos nominare necesse habeo, nugacissima humani ingenii figmenta. Ipse salutis auctor & conditor nostræ haud semel misit lacrimas, qui licet induit hominem, non Deum tamen exuit; & ei junxit hominem, ut homines Deo conjungeret. Potest excelsus magnusque animus tueri possessionem boni sui ac gloriam in duritiem, licet atque rigorem haud abeat: nec idem est dolori succumbere, & dolorem sentire. Nemini hominum non aliquid dolet; sed cedere ingruenti affectui; & jus imperiumque dare in se, non fortis & magni; delicati, ac imbecillis est. At verò qui reget & moderabitur animo, hic sui ipsius Rex, hic par aut proximus Deo audiet, qui ut excedat naturam omnem â semetipso tamen non excedit, sed unus ac idem semper est. Atque is ipse, IMPERATOR AUGUSTE, quàm non malignè egit Tecum, qui traduxit ad se, quam charissimam habebas in rebus humanis; sed postquam reliquisset pignus, in quo sanctissimi amoris copula deinceps etiam TIBI duraret. Quid aspectabilis iste est homo, quàm modulata quædam species carne fulta ac sanguine? Et quomodo igitur avulsam putabis penitus, cujus imaginē, cujus sanguinem spiritūq; sed tuo mistū, in filio Principe tenere, amplecti, amare licebit? Prætereâ & inter absentes animorum



nexus atque conjunctio manet: & quorum semel fide bonâ coaluit spiritus, nec loci nec temporis spatio dirimi queunt. Nam longè diffitos etiam memoria atque affectus præsentis facit. Magnum à pietate tuâ, IMPERATOR, magnum à stirpe ipsa solatium habes, quam dedit erepta. Nec refert, unam ac simplicem illam quòd dedit. Parum quippe in filiis interest, pluresnè an unum habeas; si unus ille multorum instar sit, complexus in universum laudes, quæ nobilitaturæ aliàs singulos erant. Res numerosissima humanus animus est, & infinitarum formarum capax, æquè ut mundus, Sint itaque licet honesti species plures, non ita illæ diversæ tamen, ut coire non queant, & in unius, sed nati feliciter, animo plenam & consummatam partibus omnibus representare virtutem. Nec quis ætatem mihi hoc loco objiciat; & quòd in primis, ac vix dum inuentibus annis, nil præter spem nobis amplecti licet. Magnum quiddam & sola spes habet; si magna videlicet, atque prolixa per se: hoc est, magnis & evidentibus conjecturis nititur: nec futurorum inanis tantum præsumptio; sed ratiocinatio quædam, & demonstratio propemodum est. Non procreat frutices atque virgulta arbor nobilis: & ex TE, IMPERATOR, quid nisi magnum, & excellentissimum nasci credibile est? Cæterum indoles talis nutrita tam faustis sub penetralibus quòd non proficiet laudis, atque ascendet? Quid aula tua, nisi optimæ cujusque, ac maximæ artis Gymnasium est? TE ipso autem, PERFECTISSIME PRINCIPIUM, quis melior nato, quis sanctior & undiquaque absolutior doctor continget? Qui tuo unius exemplo certius multò & efficacius monstrabis omnia, quæ magnum Principem faciunt, quàm sapien-

tissi-



tiſſimi ac diſertiſſimi viri pluribus libris vix explicarunt. Multum quidem ad promovendam ingeni inſitam vim literarum ac ſtudioꝝ diſciplinæ faciunt; ſed nescio quomodo doctrinâ plerumque eorum vita potentior ſit, quibuſcum agimus, quos intuemur aſſidue; quin & amamus, colimus, veneramur. Quoꝝ dicta, ſicut oracula excipimus; & facta ſingula tot documenta vivendi & regulas ponimus. Quod ubi ſit, non cum aſperitate præcipiendi & cum terrore, magiſtro parum fideli, inculcantur moꝛeſ egregii, ultrò inſinuant, & cum illecebrâ quadam, ac reverentiâ ſubeunt animum ac implent, rectique inducunt naturam. Atqui virtutem haud tantum ex TE, IMPERATOR, verumque laborem (quod apud principem Poetam Æneas filium monet) ſed ipſam fortunam etiam haurire feliciffimus puer & diſcere poterit. Quæ tam beneficia hætenus in auguſtiſſimam veſtram domum fuit, ut pronuntiari difficile ſit, ad magnitudinem Auſtriaci nominis plurane ipſa contulerit, an virtus; in æmulationem veluti atque certamen descendens, utramereri de VOBIS præclariuſ poſſet, virtusne reddendo dignoſ imperiis maximis; an ipſa, dum voſ tam late fecit regnare, ut magnam orbis terrarum partem teneatis imperio, & in veſtrarum ditionum finibus ſol oriatur, & occidat. Interim dum maximus omnium in adoleſcentiam creſcit puer, dum in majores nititur gradus, rectoque ac indeflexo itinere per laudis fraternæ incedens veſtigia jam non minetur, ſed præſtet principem, quem virtus maxima, & ſumma fortuna dare poteſt; ego autem magis magisque, INVICTISſIME IMPERATOR, me beneficiis tuiſ concinno dignum, vel olim in ſtatione eâ poſitus, in quam tua me



pietas non uno ornatum sacerdotio misit, solennes ob-  
beo vices, nunquam non memor indulgentiæ tuæ in me  
& meritorum incomparabilium ero; nunquam non &  
privatâ religione mecum solus, & inter publicos ope-  
rantium cœtus agam, canamqve gratias, proqve salu-  
te ac incolumitate tuâ, AUGUSTE; pro perpetuitate  
domûs tuæ Imperiique securitate, ac status quem affli-  
ctissimis Patriæ rebus reductâ firmatâqve pace reddi-  
disti, castè nuncupabo vœta ac preces, in pectore imo  
ac ore hoc volvens assiduè aut recitans carmen:

**D**Eus Deorum, quem semel propitius Christiano orbi  
commodasti Rectorem, hunc diutissimè nobis concede.  
Hic optimos CÆS ARVM virtute, maximos potestate, for-  
tunâ felicissimos vincat. Quousque produci humana vita  
terminus; quàm possunt latissimè porrigi annorum nostro-  
rum spatia, tantumdem vivendo expleat: dum nihil inte-  
rim, quamdiu inter mortales erit, in domo suâ mortale sen-  
tiat. Hic Romano imperio, hic orbi rectores filios nepotesq;  
approbet: nec alios fortune suæ aut videat consortes, aut suc-  
cessores accipiat. Nihil in eum liceat casibus; non suam in  
ipso exerceant fata potentiam nisi prodesse cum volent & de-  
mereri. Quicquid concussum, ac saucium jacuit hacten-  
us; quicquid dejectum, atque prostratum, id bonitate, id  
sapientiâ suâ sanet ac erigat: constantiâ ac fortitudine asse-  
rat, tueatur, conservet. Nec arma ulla quietem ac pacem  
quam dedit, lacessant ac turbent, nisi quæ extra Patriam  
repellat profigetq; longissimè, felix hostium Domitor,  
magnus Triumphator Barbarorum.

E I N I S.



AUGUSTI BUCHNERI  
**ORATIONES**  
**FUNEbres,**  
QVAS IN EXEQVIIS CLARISSIMO-  
RUM VIRORUM, ALIORUMQUE HONE-  
STISSIMORUM HOMINUM, ET CI-  
VIUM ACADEMICORUM,  
HABUIT.





## LECTORI BENEVOLO.

**Q**uamvis initio haud animus erat, praesentes Orati-  
unculæ hîc loci annectere: de quibus ita statuebat  
ipse sanctissimus Senex, satius esse, ut omnino suppri-  
merentur, quippe quas tumultuariâ planè operâ, & exclu-  
sus, ut fieri his necessitatibus solet, tempore omnî, conscri-  
psisset, nonnunquam & dixisset antè, quàm consignasset lite-  
ris; evicerunt tamen principum amicorum preces, ut quas  
nancisci potuimus, atque ex his selectiores, simul ederemus.  
Nam multa sunt, quas admodum juvenis, & antequam  
illud eloquentiæ emensus fastigium esset, condidit: quas me-  
ritò & suo jure negleximus. Tu illis fræere, LECTOR  
BENEVOLE, & nobis fave.

ORAT.



ORATIO I.  
IN FUNERE  
D. BALTHASARIS MEISNERI,  
PROF. PUBL. ET ACADEMIÆ WIT-  
TFENBERGENSIS MAGNIFICI  
RECTORIS.

**S**I tanta mihi ingenii vis, tanta dicendi esset copia, quânta nunc ægritudine animi perplexus sum, quanto dolore undique opprimor, confiderem, cum laudem me exequuturum, quæ in præfenti mihi subeundæ sunt partes. Nunc quum vulneri huic & plagæ, quum huic nostro immenso luctui par nulla inveniri possit oratio, facundia nulla sufficiat, equidem nescio, magisne mea culpanda temeritas, quod hoc dicendi munus mihi imponi passus sim; quàm commendanda pietas, quod non detrectarim. Me verò infortunatum ac miserum, qui infelicem spiritum in hunc diem circumfero, quo dicendum mihi in viri illius exequiis quem unicè semper admirari solitus sum, quem omni affectu animi, & suprâ quàm dici potest, colui, observavi: cujus consilium, fidem, operam nemo unquam bonus imploravit frustra, omnes cum magno fructu semper experti sunt. Sed quoniam ad hanc tristem necessitatem me alligatum intelligo, fas interim fuerit, rudes fuisse lacrimas, si erudita verba non licet: quumque dignam magni BALTHASARIS MEISNERI nostri funere afferre orationē nequeam, inconditum incoerentis animi murmur edidisse. Quan-

to e-



rò enim major illustriorque ejus olim virtus exstitit;  
 tantò nunc calamitosior acerbiorque ejus decessus est.  
 Multa sunt, Auditores, & dictu gravia, & aspera per-  
 pectu, quæ communem patriam afflixerunt hætenus  
 & adhuc quoque lacerant. Innumeros mortales pe-  
 stilentia abstulit: immensam hominum vim hæc plus-  
 quam civilium bellorum rabies absumsit: rapinis, in-  
 cendiis, cædibus turbata fuerunt omnia, exhausta, de-  
 vastata, vexata: quantæcunque tamen illæ clades, quan-  
 ta hæc damna fuerint: propè dixerim, parva ac levia  
 existimanda esse præ eo, quod in Rectore nostro ami-  
 simus. Neque enim putandum, ejus obitu hanc Aca-  
 demiam, hanc Saxoniam nostram tantum (quanquam  
 has præcipuè) concussas confusasque esse; universa Ec-  
 clesia purior, universus, quacunque patet, Christianus  
 orbis hoc vulnere confossus ac sauciatus est. Ferimur  
 cuncti in unius jugulo, & occidit flebilis omnibus, qui  
 in amorem sui ac admirationem vivus omnes trahebat.  
 Quis respondebit deinceps quærentibus de rebus fidei?  
 Quis eriget timidos, dubios confirmabit, pressos sola-  
 bitur? Cujus vox stylusque in posterum æternam veri-  
 tatem aut assertabit potentiùs, exponat lucidiùs,  
 aut eruditè magis proponet? Ubi nunc vera virtus  
 sibi sedem deliget? Quem porro exemplum pietas  
 specimenque ostendet? Ecquis vitare seculi vortices,  
 quis larvam à veritate postea dignoscere, monstrabit?  
 ne inconsultus animi impetus zeli nomen induat; ne fi-  
 cti supercilii nubes sanctitatis in vadat famam: aut fa-  
 ctus pro sapientiâ, opinio pro doctrinâ, blanditia pro  
 comitate in Ecclesiâ regnent. Fuit, fuit illud ingeni-  
 um, quod & inveniendi acumine, & differendi subtili-  
 tate, & disponendi solertiâ vix sibi æquale hodiè habuit.


Exa-



Exaruit illud os, conticuit lingua, quæ, non ut Homericæ Nestoris melle, sed ipso divino nectare, ipsâ ambrosiâ diffuebat. O irreparabilem tot maximarum rerum jacturam! O acerbissimum tuum, magne MEISNERE, obitum! Tu quidem complexus cælum tuum, coronâ illâ, pro quâ tam strenuè hîc depugnasti hactenus, incingeris, adgratulantibus tibi universis & fortissimorum martyrum & sanctissimorum Confessorum choris; quos inter medius novum sidus ipse radias, discisqve, quàm vanum sit scire illud omne, quo superbimus tantoperè in his terris miseri, & calcamus alios pariter invicemqve calcamur; nos verò, te Duce, te Præsîde, te Doctore nostro destituti trepidamus anxîè quid de nobis tandem futurum, & velut stupore quodam attoniti defixos tantum tenemus oculos in nostrâ plaga. Quod si rerum humanarum curam nondum omnem deposuisti, si adhuc nostri memoriam, retines, age, & quoniam ipse succurrere necessitatibus nostris amplius non potes, precibus tuis impetra, ut tibi succrescant similes, qui Ecclesiæ, qui Academiæ nostræ salutem ac incolumitatem tueantur. Sic tuum corpus leni quiete fruatur interim, placideqve dormiat, donec reformato hîc universo orbe, perpetua lux purgatos ambiat, æternæ tenebræ fontes involvant. Nunc ad vos, Auditores, mea se convertit oratio, quibus tempus jam erat, agere ac habere gratias pro tam luculenter præstito exequiarum officio, nisi vereretur, vos eas prorsus deprecatorios. Ecquis enim vestrum est, qui non MEISNERUM nostrum eo affectu & vivum complexus fuerit, & nunc proleqvatur mortuum, ut vel suis met humeris inauspicatum subire feretrum, & parvas viri magni reliquias ad conditorium suum deportare volue-



voluerit, nedum deductioni funeris interesse? Ceterum quandoquidem ille nullis unquam modis deplorari satis potest & elugeri, agite, Patres Academici, & finem ponite luctui, quem ceremoniis istis funebribus statuistis. Quò enim nil profecturæ diutius fundantur lacrimæ, aut dolor inutilis animum lancinet? Gratulamini vobis potius quòd talem ac tantum virum benigniora hætenus concesserint fata, atque id unicè incumbite, ut afflictissima vidua liberiqve superstites ope, consilio & fide vestrà ne unquam destituantur. Erit, profectò erit tempus, quum ex hac parvulâ turbâ non unus nobis resurget pater, & qui tot rarus illius ingentesqve animi repræsentabit virtutes, cuius nunc os & oculos in hoc tenello vultu circumgestat. Deum supplex veneror ut Ecclesiam, ut Academiam nostram sibi curæ habeat, & quam inflixit plagam, ipse sanare instituat. Ab alto, quæ parimur, veniunt: ab alto medela etiam exspectanda. Neque enim ulla est salus præter Te, Deus noster!



ORAT.



ORATIO SECUNDA,  
IN FVNERE

D. FRIDERICI BALDUINI,  
Ecclesiæ Wittenbergens Antistitis,  
Superintendentis Generalis &  
Prof. Publ.

**H**Oc nobis igitur post tot calamitatum publicarum nomina, post acerbissimum magni MEISNERI nostri obitum sperandum erat, ut quum adhuc mademus lacrimis, quum adhuc altâ cicatrice nostrum hiaret vulnus, novus nos mœror opprimeret, capitalis æquè feriret plaga, & alterum illud Ecclesiæ, alterum Academiæ lumen, quod vel præcipuè in posterum nostras spes, nubilas satis atque obscuras, illustrare posse videbatur, extingueretur? Ergo nē hoc immutabile fati decretum est, hæc propriè nobis fixa necessitas, ut calamitatem trumat calamitas, ruina ruinam involvat? O infelicissima ineuntis pariter & vertentis anni initia! ô Kalendaræ Majæ, non jam amœnitate florum, nec lætitiâ segetum, nec gemmis vitium, aut serenato post hibernum horrorem cœlo, lætæ ac commendabiles; sed luctu, sed lacrimis, sed squalore obductæ prorsus, imò damnatæ! Fuit, fuit illud tempus, quum orbe annuo vos redeuntes non absque solenni gratulationum ac gaudiorum festivitate exciperemus! Quum salutare huic nascenti Academiæ ortum vestrum, non albâ, quod veteres solebant, lineâ; sed unionibus propè ac gemmis præsignaremus! Nunc verò (ô amarissimas vices!) posteaquam FRIDERICVM BALDVINVM (cujus nomen titulos omnes respuit, quia omnes transcendit)

T

non



non dico nobis, sed toti orbi Christiano, qui in eo, veluti tibiae aliquo ac fulcro; nitebatur, eripuitis, ecquid aliud restare possit, quam ut in posterum, sicut Atlantes populi renascentem solem diris devovent, ita nos vestrum detestemur ortum ac execremur: certe inter atros inauspicatosque dies vel primo vos loco numeremus? Amisimus & olim Antistites; sed tunc solata nos facile est fecunditas nostra, quæ suâ felicitate nec metuere quidem, quæ nunc sentimus, orbitatis sinebat mala. Nunc quò prolapsæ sunt Academiae nostræ res? quò ceciderunt illæ tot lingvis celebratæ divitiæ ac opes? Sumebamus quondam successores docentibus, nunc quærimus: quum & multum quærivimus, vix invenimus: aut si invenimus, plerumque in iis aliquid ad antiquorum decus videtur deesse. Non sum tam iniquus æstimator nostrorum temporum, ut premere velim viventium gloriam; quin potius ingenuâ confessione fateor, esse adhuc per Dei gratiam, qui de Ecclesia indies præclarè prorsus mereantur: hoc tamen minimè vereor pronunciare, & paucos eos esse, & pauciores, qui BALDUINI nostræ famam sustinere queant. Tot unus ille possedit virtutes, quod invenire in pluribus hodie singularis propè fuerit felicitas. Quis ausit negare, ipsius eruditionem illustrissimam fuisse in Orthodoxâ Ecclesiâ? Nam & solers perquam ingenium, & iudicium, si quis alius, limatissimum, ac propè divinum sortitus erat. Jam ad pietatem & vitæ sanctimoniam quod attinet, non modo plures alios eâ re, sed ipsum sese propemodum superavit. Hoc enim laborabat unicè, ut doctrinæ suæ & vitæ ratio concineret, nec unquam præciperet aliis, quod non ipse prior exemplo suo sanciret atque firmaret. Ita enim reputabat, aut  
non



non docendum aut moribus docendum esse. Porro quanta majestas ejus dictis inerat, quum de suggestu verba pro concione faceret, quanta gratia & venustas eum ubique sequebatur? Putasses nectaris fontes & favos mellis ab ore ejus dimanare, quum prompta spes veniæ ostendenda poenitentibus, quum divinæ thesauri misericordiæ recludendi essent rursus, credidisses ipsum non tam verba quàm fulmina ac hibernas grandines spargere, aut ad instar irati amnis per præcipitia montium decurrentis fervere, si quando vicia configenda hominum, si inculcandum mentibus, quanta indignatione in publica scelera DEUS ardeat. Quid nunc de summâ modestiâ animi, quid de singulari patientiâ dicam? quam adeò familiarem sibi virtutem habuit, ut pro Symbolo Scholasticorum albis plerumque inscriberet: FIDE ET PATIENTIA.

*Nam fides vidua est quam non patientia firmat.*

Quem quidem verum ex quodam Prudentiano interpolarat. O virum non modò superiorem nostro seculo, sed & multis veterum præferendum! Cujus summas maximasque virtutes nec prædicabit satis ulla posteritas, nec dignum pretium ejus præclarissimis meritis rependet! Excitemus licet arduas cæloque tendentes moles; æraque certatim ac marmora in vultum ipsius atque imaginem emolliamus; is tamen honor magis nostro affectui sat sfaciet, quàm tanti viri memoriæ sufficiet. Cui nemo dignus perenniusvè monumentum statuatur, quàm quod sibi ipsemet in nostris mentibus dudum erexit. Inibi igitur non mox marcescentia fœta, & brevi perituros libabimus flores; sed mansurarum laudum ipsi suspendemus coronas, ut, licet ereptus sit nostris oculis, & procul à nobis felix ævum agitet, ejus tamē

T 2

pic-



pietas, innocentia, fides atque industria nobiscum in terris semper commorentur. Quod superest, Rector Magnifice, Patresque Academici, quoniam nunc finita omnis ceremoniarum funebrium solennitas est, nec quicquam restat, quod beatissimis defuncti reliquiis impendi debeat, id agite, ut cogitetis potius, quâ ratione afflictis Ecclesiæ & Academiæ rebus consulatis, quàm quò alatis dolorem vestrum ac luctum. Verissimè enim antiquus Vates monuit:

*Res turbida consilium; non fletum expetunt.*

Post hæc eò contendite, ut juniores BALDVINI intelligant, hoc, quo impræsentiarum functi estis officio, & ultimum fuisse, quo Patrem optimum prosequeremini, & primum, quo fidem, industriam ac benevolentiam vestram filiis obligaretis. Quâ de causâ & singulares vobis agunt gratias, & orphanos annos ac destitutam præsidio ætatem suam certâ fiduciâ animi bonitati vestræ etiam atque etiam commendant. Ita enim augurantur de vobis, nunquam non promptè adfuturos liberorum saluti, qui tam sincerè parentis fato indoluistis.

---

ORATIO TERTIA.

IN FUNERE

D. WOLFGANGI FRANZII,

Profes. Publ. & templi arcis Præpositi.

**D**Vm mihi in istis exequiis, & hoc amplissimo funere verba facienda sunt, non possum non dolere Academiæ nostræ vicem, quam acerbissimi fati genus, non tã ferire ac stringere, quàm premere penitus, atq; in eam  
in-



incumbere, haecenus visum est. Non dicam de aliarum artium ac scientiarum doctoribus, quos paucis annis plurimos, eosque eximios ac præclaros, de medio doctissimorum laborum cursu propera nimis ac immatura mors subtraxit. De divinarum literarum tractatoribus mihi nunc commemorandum potissimum est, in quos tempestas istæ grassata adeo, ut nondum exacto triennio tres ipsos ejus ordinis Professores, non sine maximo Ecclesiæ & Academiæ nostræ damno, efferre necesse fuerit. Amisimus MEISNERVM, MEISNERVM inquam, qui & divino ingenio & suavissimâ doctissimaque indole in sui admirationem omnes facile rapiebat. Amisimus BALDVINVM, in quo nescio, magisne absoluta eruditio, an sancta morum gravitas veneranda. Hic ipse tertius nunc WOLFGANGVS FRANZIVS, quem humavimus, incomparabilis judicii Theologus, accessit, & velut cumulum quendam addidit miseriæ nostræ atque calamitati. Quam dum in mentem mihi revoco, & illa æternitate digna nomina recenseo mecum, ita consternor, Auditores, ita velut stupore quodam attonitus hæreo, ut nec invenire lacrimas, nec comminisci verba possim, quibus aut casus istos explicem, aut tam atrocem cladem, prout dicebat, deplorem. Quæ quidem eò durior atque acerbior est, quò horum temporum ratio magis, ut ita dicam, crepera, magis formidolosa turbataque est. Quis enim nescit puriorem Ecclesiam non modo fraudibus variis hæreticorum ac dolis, velut quibusdam cuniculis, undique suffodi; verum etiam professâ vi & aperto Marte circymquaque impeti ac oppugnari? Quod si prudentia & fortitudine virorum ingentium tunc opus præcipuè, quando, ut Ennii versu dicam,

T 3

Patria



*Patria terribili tremuit horrida terra tumultu;*

& totis adeò. ut Maro ait, turbatur agris: equidem hac tempestate, Ecclesiæ res, exercitatos cum primis ac peritos Theologos requirere videbatur. Sed nolo in exaggerandis malis communibus immorari diutius: ne vetera vulnera refricare velle videar, & quos dolores nō nihil sopivit tempus, si nondum sustulit, velut resuscitare. At verò de FRANZIO nostro, Auditores, quid dicam? An mortem ejus plangam ac obitum? an laudes potius decantabo? Illud si facerem, verendum esset, ne sanctissimos manes, vel, ut Christianè magis dicam, beatissimam animam læderem: ut quæ jam eò delata sit, ubi victrix curarum, victrix calamitatum laborumq; , nihil dubias rerum vices, nihil instabilem fortunæ rotam metuens, securum, & hilare, & amænum, & florens æternâ felicitate ævum peragit: ubi non veritatē investigat amplius, sed prorsus capit: ubi non tam credendo amplectitur, quàm videndo Deum usurpat: & quē intra se hactenus delitescentem coluerat, nunc coram quoque intuitus veneratur. Alterum autem instituere & tanti viri merita dicendo æquare, partim angustia temporis, partim ingenii tenuitate prohibeor. Quocirca sicut pictores, quæ satis commodè exprimere nequeunt, velo obducunt: ita & ego, quidquid in FRANZIO egregium fuit & admirabile, silentio involvam potius, quàm jejuna atque ineptâ oratione frigide & parum pro dignitate explicabo. Erit fortassè alius, qui & meliorem indolem, & feliciorem eloquentiam ad hasce afferet partes; & quam capere ipse gloriam poterit, FRANZIANO nomini circumfundet. Ego verò interim vobis hoc præsentit tempore, Auditores, quæ debentur, ago habeoque gratias, quod his exequiis tam frequentes inter-



teresse voluistis. Merebatur hoc quidem viri dignitas, & illa præclarissima, quæ magna cum laude studia tractavit, sed & deprædicanda vestra est pietas eo nomine, quod multis, quos funus istud longè gravissimo luctu affecit, magno solatio fuit. Quocirca hoc persuadebitis vobis, omnem familiam FRANZII, præcipuè verò piissimam Conjugem, sexus sui decus, daturam sedulo operam, ut quæ præstare grati animi studia officiaque unquam poterunt, vobis semper declarent.

## ORATIO QVARTA

## IN FVNERE

D. BENEDICTI CARPZOVII,  
Senioris, Excancellarii & Consiliarii  
Saxonici.

**N**ihil equidem miror, RECTOR MAGNIFICE, Viri Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi, Clarissimi, Prudentissimi &c. nihil equidem miror ad istud exequiarum officium tam frequenter & copiosè vos confluxisse. Deduximus funus Magnifici atq; Amplissimi Viri, Dni. BENEDICTI CARPZOVII Senioris J.V.D. Excancellarii & Consiliarii Saxonici eminentissimi. Cujus ingentes virtutes & per insignia animi bona, ut probè novistis omnes, sic candidè semper estis admirati. Quocirca cum alterâ in præsentia non licuit, vel ista certè ratione procul omni dubio voluistis ostendere, quantoperè & vivum amaveritis, & nunc (ô triste & illætabile verbum!) extinctum dolcatis. Et quis abesse viri illius exequiis ve-



lit (nisi imprudentissimus rerū sit, & inficeti ruris prorsus plenus) qui tam præclarè de publico meritis, tam charus & honoratus principibus & potestatibus maximis fuit: Quos quidem si aut naturæ ordo redire in vitam, aut illud dignitatis excelsæ culmen hoc loco adesse permetteret, vel primos fortassè in isto ordine atratos lugentesqve conspiceremus. Ego quidem in viri summi laudes nolo descendere, quibus persequendis aptus non fuerit, nisi qui virtute atque ingenio par proximusvè ipsi potuit esse. Hoc tamen affirmare nil verear, non iri inventum temerè, in quo aut major in consiliis probitas, aut inde jure respondendo promptitudo felicior, aut in tuenda asserendaqve justitia incorruptum magis fervidumqve studium, præ quàm in illo fuit, eluceat. Quæ quidem virtutes etsi ad summam sufficere gloriam poterant; solæ tamen in eo non fuerunt. Accesserunt & alia longè plures, fides, industria, patientia laborum summum juvandi omnes studium; cum primis verò animus rectè compositus, qui adversus divitias magnus, contra offensas liber, ad sufferendam invidiam constantissimus esset. Ut non tam usu ac consuetudine, quàm ab ipsa natura ad curandas tam arduas res, quibus præfuit, factum fuisse existimare liceat. Quamquam autem istud honoris genus, quo Virum Amplissimum affectum ivistis, ipsius debitum manibus videri poterat; sed tamen superstites liberi ceteriqve propinqui, quos hîc adstare videtis longo agmine, lugentes omnes verissimisqve squalentes lacrimis, humanitatis id magis officium volunt interpretari. Qua de causa & me jusserunt prodire in medium, Vobisque Viri omnium ordinum Honoratissimi, pro insigni ista benevolentia ipsorum nomine lugentes agere & habere gratias.

Ro-



Rogare etiam insuper, id persuasissimum habeatis vobis, ipsos, quocunque tempore, quocunque loco, qua ratione denique & modo vobis gratificari poterunt, nulli unquam labori, industriae, studio paruros esse. Quicquid ad honorem vestrum videbitur facere, quicquid idoneum rebus ac commodis vestris intelligant, id semper agent, id laborabunt unice, de illo assidue erunt solliciti. Nec ullam promptius subibunt operam, quam quae in vestram suscipienda gratiam veniet. Quod reliquum est, tu o beatissima CARPZOVII anima, quae corporeis soluta vinculis, in aeternam securitatem post turbata ista creperaque humanarum rerum negotia te vindicasti, Salve, Salve, & aeternum vale. Nos quod unum praestare possumus, reverenter tui colemus memoriam, tuasque virtutes egregias sedulo admirabimur: quas si non in aeternitatem dare possumus; servare tamen in exemplum posteris summopere semper adnitemur.





## ORATIO V.

## IN FVNERE

D. JOHANNIS STRAUCHII,

J. U. Prof. Publ. & Collegii Juridici  
Ordinarii.*Illustrissima atque Celsissima Principis ac Dominae,  
Dominæ DOROTHEÆ, natæ ex illustriss.  
Brunovicensium & Nunæburgensium Ducum Do-  
mo, Marchionissæ Brandenburgicæ &c.*

LEGATE SPLENDIDISSIME;

*Generose, Nobilissime ac perquam strenue Vir.*Curia Electoralis Præses eminentissime; idemque  
Wittenbergensis, Belzigienſis & Gomeranæ  
Ditionis Præfecte supreme;

PRORECTOR MAGNIFICE,

Patres Academiae, & cæteri Exequiatores, Admodum  
Reverendi, Nobilissimi, Excellentissimi, Amplissi-  
mi, Clarissimi & Prudentissimi, &c.

**E**St quidem Opificis rerum & gubernatoris ea po-  
tentia ac vis, ut retrò sublapsa non modò excitare  
in melius; sed & quæ nulla fuerint, ut sint deinceps,  
& in immensum excrescant, efficere potest; tamen si ex  
his, quæ sunt ad manum, de venturorum fortuna haud  
improbabilem conjecturam solemus facere, ut indole-  
scendum præsentibus vehementer est, sic in futurum  
nil nisi triste ac durum ominari licet. Non ibi per sin-  
gula



gula vulnera patriæ, & universam nostræ infelicitatis  
feriem retexam: Academiæ tantum, & studiorum mi-  
serabor vicem; de quibus nisi & ipsis jam acta benè &  
conclamata res esset, parum referre propemodum di-  
xerim, subversas cæteras nostras fortunas. Neque e-  
nim publicarum rerum vis ac incolumitas in opum atq;  
divitiarum amplitudine magis, quàm in religionis, ju-  
stitiæ virtutumq;ve curâ ac studio posita est. Quæ nun-  
quam deerunt humano generi, quamdiu literarum ac  
sapientiæ studiis suus honor constabit. Nec hæc flo-  
rere non poterunt, dum Scholæ & Academiæ, incuna-  
bula eorum ac officinæ, conservantur. Sed cum pau-  
cissimi sint, quibus de fortunarum suarum ruinis, per  
acerbissimi temporis diritatem hoc manserit reliqui, ut  
in aliquam saltem eruditionis atque scientiæ spem edu-  
care suos quæant; & illi ipsi qui doctrinas egregias in-  
stillare discentium animis debebant, destituti inter i-  
nopiam ac sordes, aut ignobilissimis relictis curis nec  
indulgere ingenio impetus liberos ad cogitandum exi-  
mum aliquid; nec eam concipere alacritatem animis  
possint, quæ ad præcipiendum cumprimis est opus;  
quantum spei ad obtinendam eam rem nobis reliquum  
sit, ipsi videtis. Sed hæc calamitates nobis cum Academi-  
is aliis communes sunt; nostram & hoc peculiare affli-  
git fatum, quòd non jaçtentur tantum quassenturq;ve  
mirum in modum, qui fingendis & instruendis animis  
præsent, sed extinguuntur etiam penitus; quasi ad infe-  
licitatem nostrâ haud satis sic prosterni dejiciq; studia,  
nisi resuscitandorû etiam spes in tot Clarissimorum Vi-  
rorû casibus & ipsa expiret. Horret animus & sibi met-  
ipsi se subtrahit quasi, cum in recogitationem nostra-  
rum cladium defertur fortè. Ac licet parcam cum maxi-  
mè



mè referre per ordinem tot animarum illustrium nomina, quibus paucissimis annis hæc sedes Musarum orbata fuit; hoc stratum saxeum tamen, quod despiciamus ac calcamus, & literati hi lapides loquuntur satis & clamant. Videturque hoc totum augustissimum templum adhuc lamentis & ejulatibus strepere, qui in funeribus ipsorum largiter fusi. Quorum numerum cum in præsentis & excellentissimus JCtus, ejusque Collegii Ordinarius, quem vocant: JOHANNES STRAUCHIUS tanta eruditione, tanta virtute atque prudentia Vir, auxerit, ad ipsa Academia gubernacula purpuratus dum sedet, atque hanc navem nostram moderatur decedens, & nunc communi matri traditus sit, nihil videndus amplius ac consulendus impofterum; nemo non facile intelligit, quanta non modò lugendi dolendi que; sed magis magisque desperandi indies de Academia salute materia nobis præbeatur. De quo si pauca dixero, maligno videar propior: & omnia tamen, atque sic velle dicere uti ex meritis videretur laudatus, non horæ unius res esset. Quid quod virtutes egregias non tam verborum encomiis, quàm emulatione ac studio optimè omnium veneramur. Enim verò tum vindicatur non modò functorum memoria, sed quicquid laudabile ac admirandum egerunt, in vita asseritur & conservatur. Quare cum jam peracta solennia cætera funeris sint, agite dum Exequiatores, atque imprimis vos juvenes ornatissimi, & quæ præclara vestigia Noster impressit hætenus, & nunc reliquit, hæc consecrari atque relegere strenuè, vestrum existimate. Nemo in hac amplissima corona, uti opinor, est, qui nesciat, quæ singulari pietate in DEUM, quæ religione STRAUCHIUS fuerit: ut nihil prius, nihil antiquius habuerit unquam, quam



quam omni cultu ac veneratione animi ejus sanctissimum Numen affiduè sibi propitiare atque benevolum reddere. Capessite hoc tam insigne exemplum, & exprimendum perpetuò vobis infigite animis penitus; itaque existimate, adversa omnia evenire spernentibus DEUM, lataque & prospera colentibus ritè; nec esse majorem vim pietate verâ. Quid de justitiæ studio incredibili, quid de integritate vitæ & continentia singulari memorem? Vendant alii jus; ipse reddidit: & unde justitia stare visa est, in eam partem pronunciavit. Liber atque invicti non modò adversus metum animi, sed avaritiam quoque. Nec sollicitandus muneribus, nec detrimenti ullius timore dimovendus à recto. Im-motus, constans, alienus ab omni arrogantiâ & fastu (quæ fermè vitia aut imperitis aut vanis hæere solent) publici autem egregii, si quisquam alius, studiosus. Quas summas virtutes sic intueri in nostro & admirari oportet, ut omnes capiamus imperum in maximas istas ac divinissimas laudes enitendi perpetuò & aspirandi. Jam recordati quibus vigiliis, quibus laboribus, quo indefesso studio STRAUCHIUS in istud, quod tenuit, ascenderit culmen; sic statuendum cum animis vestris, Juvenes optimi, existimate; eodem vobis procedendum, itinere, iisdem viis insistendum esse: nec ad illustrem aliquam gloriam per luxum atque segnitiam additum ulli patere. Nihil efficacius ad induendos præclaros mores animo exemplis egregiis est: nec formet quis suam rectius, quàm qui in optimi cujusque vitam affiduè intueatur. Quod si in Nostro studebitis facere, lectissimi juvenes ad quos præcipuè hæc pars orationis dirigitur, & vobis consuletis egregiè, & ipsi mortuo etiam atque sublato novam quandam ac aliam vitam



tam concinnabitis. Falluntur enim qui vivere tantum magnos existimant homines, cum ducunt spiritum, & hoc amabile solis aspiciunt lumen; tamdiu durare ac superare credendum est, quamdiu virtutum memoria, & tot illustrium actuum, quibus vi a ipsorum conspicua fuit, in aliorum æmulatione non exolefcit. Hoc agite igitur, in hoc incumbite sedulo, quicumque ad eruditionis & sapientiæ virtutisqve arcem contenditis. Quod multo satius erit, quam luctu & quæstibus incendere omnia; quibus ingentia vulnera non obducuntur sananturqve; sed dilatantur atqve exasperantur magis. Et illis tamen vacare nunc penitus, hoc nihil aliud est, quam se metallum aut saxum, quod nihil sentit, profiteri. Neque enim nascuntur viri egregii temerè; nec fiunt tam facile, quam deficiunt. Quot disciplina annorum & experientia opus est, ut perficiatur aliqua indoles magna, quæ publica commoda insigniter juvet; cum unus ictus fatalis, momentum qve exiguum, quod solvit animam, extinguat? De cætero idem nobis erit tenendum, quod deprehensi in magna tempestate facere solent. Qui ubi consumtas vident humanas opes; divinas maximè implorant, atqve se Deo fortunæqve suæ permittunt. Sicut prudentes vereri ventura, nec tamen præsentium curam dimittere solent; sic magni animi est, quamcunq; sortem expectare intrepidè, & tamen confisum bonitate Numinis, in secundiorem spe magis pendere. Mira fatorum industria ac singulare ingenium est. Per clades atq; excidia ipsa sæpius ad felicitatem viam inveniunt: & afflictissimam quamvis miseriam cum summâ fortuna quandoq; convertunt. Quare ut afflictissimæ sint Academiae res, & deploratæ prope modum penitus, cum aliis causis, tum maximè per tot  
Cla-



Clarissimorum Virorum mortes; recogitandum tamen est, quod in Tragœdia nescio quis non imprudenter sanè monuit;

*Qui nil potest sperare, desperet nihil.*

Multa eveniunt, quæ nunquam expectes. Et quicquid humana mens nec capit, nec videt; illud ex facili Deus & reperit juxta, & præstat. Illi erimus curæ: cum Te felicem interim prædicabimus, JOHANN. STRAUCHI, qui vitæ emensus curricula metam tenes; & ex his fluctibus, ex hac impetuossimæ tempestatis hyeme in tranquillitatem æternam aspirasti. Hic te nunc multò illustrior augustiorq; quam cui immortuus es Academicæ civitatis Rector, purpura ambit: quæ ut non usuraria atq; in diem, sed propria atq; perpetua data; sic consumenda vetustate nulla est, & ab se semper nova erit ac recens. Salve sanctissima anima ac æternum vale. Qui nunquam non admirabimur, nunquam non iusta vehemus laude virtutes tuas, quarum exempla nobiscum manent; semperq; ac perlibenter fatebimur, in Te præclarum ornamentum Academiam, Jurisprudentiam splendidissimum lumen, Remp. curiamq; præsidium singulare ac solcrum ingens amisisse. De flestit ad vos, EXEQVIATORES, mea nunc tandem oratio: quorum dissimulandum tacite officium non est, quod in his obeundis exequiis prolixè satis exhibuistis. Atq; initio quidem quibusnam verbis, ILLUSTRISSIMÆ PRINCIPIS humanitatem deprædicabo, ut par est; quæ ut Rectoris Magnifici funus majore pompa ac amplitudine perageretur, tam studuit benignè ac elaboravit? Est id per honorificum sanè non tantum STRAUCHIO ipsi & toti familiæ ejus ac propinquitati, sed Academicæ quoq; & universo ordini nostro. De quo quàm honestissimè sentiat Prin-



Princeps Cellissima, tum aliis rebus illustribus constat, tum hinc imprimis documenta clarissima capere licet. Innumeræ ejus ac excellentissimæ dotes sunt, quibus natura ipsam benignior inusitatâ ratione ornatam voluit: sed vehementer fallor, aut inter præcipuas laudes hanc numerare oportet, quod ut ingenio prudentiâque præstat maximè, sic invitare mirificè ac omni benevolentia genere complecti solet, qui egregiis artibus & sapientissimis disciplinis instruxerunt animum, & locupletarunt. Qua in re ut nihil degenerat à majorum suorum gloriaque ac fama, sic vel cum primis ex eo se natam ac procreatam ostendit, qui inter cæteras ingentes virtutes doctissimus & sapientissimus Principum, semper habitus fuit. Nobis nunc nihil est reliqui, quam in præsentem demissè agere gratias, & post deinceps bona fide virtutes ejus admirari perpetuò, tum, si licebit, ad posteros victuris laudibus propagare: ne unquam intercitant, quæ esse exemplo omnibus debent. De tuo autem singulari studio SPLENDIDISSIME DOMINE LEGATE, quid dicam, qui tanta laude has implevisti amplissimas partes, quando obsequio Tibi ante imponi es passus? quid vestra de pietate & benevolentia, Pro Rector Magnifice, cæteri que Exequiatores, Viri omnium ordinum Nobilissimi, Amplissimi atque lectissimi, commemorem? Quos quò prolixius ac copiosius defunctos officio isto hæredes STRAU-CHIANI nominis vident, tantò majore fiducia orbitatem suam vobis commendant; & ut mariti, ut patris desideratissimi memoriam habere velitis; comiter, reverenter atque officiosè à vobis petunt ac orant. Qui hoc se minus infelices putabunt, si ipsos & illustrissima Princeps gratia sua, & vos, Virorum ac Civitatis flos, favore



vore & benevolentia vestra in animum semper inducetis complecti. Quibus rebus uti se dignos probare possint, omni cultus & devotissimæ reverentiæ genere assidue contendunt.

## ORATIO SEXTA.

## IN FVNERE

D. GODOFREDI REUTERI,  
Prof. Publici.

**V**ellem profectò, AUDITORES, ea in præsentimihisuppeditaret oratio, quæ par esset, & celebrâdis laudibus Viri Amplissimi, quem humavimus; & exprimendo dolori, non quem ego tantum ex amicissimi hominis obitu ingentē cepi; sed quo vos etiam, ut squalor iste ac dejectus in terram vultus indicat, affectos cōstat. Sed neque id nos sperare ingenii permittit parvitas; & si quid valeremus dicendo, id omne dudum luctus & ægritudo animi consumsissent. CURÆ LEVES LOQVUNTVR, INGENTES STUPENT. Etego in REVTERO eum amicum perdidi, cujus fides atque integritas, & benevolentissimus erga me animus, non heri, aut nudiustertius demum, sed plurimis annis cognitus mihi ac perspectus fuit. Divinum quiddam in homine semper existimatum est, excultum pectus habere literis, & instrumento clarissimarum doctrinarum ornatum. Præcipuè magnum quiddam atque eximium consequuti videntur, qui artem æqui & justī paullò accuratius tenent; ut sciant consulere atque adesse de jure experientibus; aut respondere prudenter, qui adeunt &

V

quæ-



quærunt. Namque cùm salus atque securitas publica, inde cum primis exspectanda sit, si suum cuique tribuatur, & vis atque nequitia contra alios nihil possit; ecquid nobilius pulchriusque eâ scientiâ excogitari queat? Quotus autem quisque nescit, ita in omni literarum genere, sacrarum etiam, & quæ religionis mysteria explicant, ita versatum fuisse REVERTER VM nostrum, ut eruditi & docti hominis laudem facillè tueretur? Ita prudentem Legum ac utriusque Juris, ut omnes propemodum dignitates consecutus sit, quæ in hujus generis atque professionis hominem cadere possunt? Solet usu venire non rarò, ut ingeniû & artes præclaræ in pessimis quoque reperiantur. Neque enim necessariò boni mores comitantur doctrinam. Est autem cum primis timenda nequitia, cui ingenium suppetit, & quæ post pravitatem insitam, literis etiam armatur. Quò fit, ut nihil pestilentius sit isto hominum genere: maximè ubi in potestate aliquâ sunt, & dominationem quandam atque imperium in alios habent. In nostro REVERTERO doctrinæ respondebat probitas; nec eruditus tantum ac prudens, sed bonus quoque ac innocens erat. Non attingam pietatem hominis (neque enim de eâ breviter exponi potest) non ejus virtutes reliquas, alibi laudatas. Hoc tantum prædicabo & dicam, nihil integrius eo, nihil candidius estitisse. Fallere, simulare, & vulpem astutam, ut ille ait, servare sub vapido pectore (quæ hodiernæ artes sunt, & maximè regnant) planè nesciebat: & detestabatur assidue: nonnunquam de iis & querebatur. Cùm cogitaret scilicet his vafrementis hodie, non tantum Respublicas florentissimas, sed, si fateri verum volumus, Ecclesiam ipsam, & totum propè humanum genus everti. Quæ cum perpendo mecum, AUDITORES, &

t or



tot maximarum rerum jacturam, quam fecimus, paullò considero attentius, ingens incumbit dolor, & velut vinclis quibusdam dicentis linguam constringit ac ligat. Heu me! quid agam miser? Quid gemam potissimum aut fleam? Vnde præsidium petam contra hunc acerbissimum dolorem ac luctum, qui undiquaque me urget ac premit? Ad Acedemiamne confugiam? at illa jacet & ipsa afflictæ mœrore, & postulat medicinam vulneri, quod atrox accepit. An literas advocem, & levamentum à studiis petam? Atqui & hæc exola propemodum sunt, quod ita prodesse hæctenus non potuerunt, ut dignum tibi, REVTERE optime, dignum amicitia nostrâ monumentum statuere possem. Abiisti, REVTERE, abiisti digressus vitâ, quâ longiore multò dignissimus eras. Non videbis nos amplius in istis terris, nec tute nobis videre. Non nunc amplecti deinceps, ut sæpe antè, licebit dexteram tuam, plenam fidei; non liberè colloqui invicem, & alterum in sinum alterius necessitates suas aut curas credere. Sed quid ago? quid meo obductor fato, quod emendari non potest? Non tam est deplorandum damnum, quod fecimus, quàm considerandum bonum, quod ipse consecutus es. Tu portum tenes, & rediisti in patriam; nos jactamur in alto trepidi, & metuentes perpetuò, quò isthæc tempestas erumpat tandem; qui nos labores atq; ærumnæ manserint. Effugisti calamitates seculi, effugisti dolores corporis, quibus te morbi sæpius & valetudo objiciebant. Amplexus cælum immixtusq; cœlitum cœtibus, eternis undiq; gaudiis circumfusus es ac triumphas. Macta hâc tuâ felicitate esto sanctissi-



ma anima! Constant vota tua tibi, & tenes abundè, quæ, cum nobiscum adhuc morabar, precari solebas. Non caducas ac terrenas quærebas opes, quas pessimi læpius consequuntur: de mansuris atque æternis laborabas, & has nunc planè possides. Nobis tua memoria immortalis erit & sancta; ut quem viventem impensè amavimus, eum ne neglexisse mortuum videamur. Si modò dicendus mortuus est, qui extra omnem pereundi aleam positus, finem nullum timendum habet. Vobis, quod super est, RECTOR MAGNIFICE, ac cæteri Exequiatores omnium ordinum honoratissimi, afflictissimæ viduæ ac parvulorum, quos Noster reliquit, nomine, singulares ago gratias, quòd ad exequiarum istud officium tam frequentes convenistis. Magnum profectò inde in ipsos solatium, magnus in defunctum honor venit. Quibus si benè de vobis vicissim merendi deerunt vires, non tamen voluntas anquam deerit. Quæ vel sola apud sapientes ad expungenda beneficia sufficere solet.

---

ORATIO SEPTIMA.

IN FVNERE

D. TOBIÆ MÆVII,

Illustriss. Anhaltini Principis, nec non

Illustrium in Barby Comitum

Consilarii.

*Rector Magnifice &c.*

**I**Nter hos fletus publicos, & quotidianas patriæ exequias, privato etiam nomine hunc lugubrem nobis diè reddidit Ampliss. Vir TOBIAS MÆVIVS J.V.D.  
 & II.



& Illustriss. Anhaltini Principis, nec non Illustrium in Barby Comitum, Consiliarius. De quo cum multa dici possint, vix quicquam tamen afferri ejus queat, quod non jam antè, quanquam alio loco, commemoratum de ipso sit, aut etiamnum vestro omnium ore celebretur. De cæteris nihil nunc dicam in præsentì. Ille egregius & recti tenax animus; ille rarus & nullis novitiis artibus contaminatus candor, qui optimas quasque & generosas mentes inprimis comitatur; illa insignis peritia Juris, & rerum agendarum prudentia, quæ non tam supparitari alienæ libidini, quàm veritatem consiliorum sequi solebat, etsi intercepta sit ejus obitu, atque nunc etiam prætereatur à me, nihilominus tamen abs se vigeat, durabitque ultra funus, & nunquam non prædicabitur illorum laude, quibus aut saluti olim, aut admirationi etiam fuit. Fit quidem haud rarò, ut viventium virtus aut non noscatur inter imperitos satis, aut deprimatur inter malevolos: vix nunquam tamen æmulatio ac livor ulterius tendit, quàm vita ipsa pertinuit. Cum quâ ut cætera, sic & invidia quoque finitur. Ut benignissimè sæpius tū quidem de viris egregiis loquantur & sentiant, qui præjudiciis antè eosdem urebant. Tenet jam olim hæc imbecillitas humanas mentes; tenebitque deinceps semper; non unquam tamen ita mutabit natura rerum, ut non cuilibet decus suum posteritas rependat. Quæ quia odii gratiæque causas juxta habent, nihil prævaricari censendo solet, & candidissimè omnium calculum mittit. Ego verò sicut liberalius multò de vobis sentio, quàm ut quendam non satis benevolo adversus MÆVIVM nostrum animo fuisse putem: ita neminè fore arbitror, qui per egregias, quibus abundè ornatus, dotes non dignum ipsum censeat, qui diuturniore vitâ frueretur. Sed



nacti in breve tempus spiritum sumus homines, ac in momenta propè singula reddendum. Nihil fragilius, nihil imbecillius est compage istâ, quâ cœlo derivata mens continetur, veluti vinculis clausa. Innumerabiles morbi sunt, & mille alii casus, qui levi momento solvant non modò, sed destruant. Et hanc effugere necessitatem, ac tam immortæ legis illidere vim ut liceat, nec Vlpianus quicquam nec Paulus, adjumenti præbet. Non ullæ hic cautionum formulæ, nullæ excipiendi artes valent. Non comperendinare, non declinare forum, non provocare ad alium judicem licet. Jacent omnes istæ machinæ, & nullum usum sui præbent. Nec quicquam superest, quàm ut colligamus vasa, & abeamus quò datum, cum venerit, vocat. Excessit igitur & MÆVIUS noster, & tradidit vitam, sicut acceperat: neque nunc quicquam eorum aut videt aut patitur, quæ nos quotidie miseros atque exercitos habent. Quo solo nomine quàm opportunus & felix existimandus ipsius obitus est? Neque enim tam vitæ cupidus quisquam fuerit, qui non libenter moriatur, cum jam videat patriam exanimem, & pessimum quemvis impunè bonis insultare. Reliquit hæc loca, ubi dolus & vis fœdissimè miscent omnia, ac optimos quosque aut corrumpunt aut tollunt. Has domos tibi, has ædes colit, in quas nec potest intrare dolor, & unde vita atque felicitas nunquam recedit. Hic beatus & letus & æternum ævum agitat, cœlites inter & ipse cœlestis. Tam extra sortem humanam positus, quàm nunc cum Deo junctus est arctè: in quo uno vivit, gaudet, triumphat, omnia habet. Vobis autem REGTOR MAGNIFICE, & quotquot comiter executi estis hoc funus, afflictissima Vidua, Liberi, Propinqui, singulares agunt habentque



que gratias, quòd hanc benevolam operam navare tam prolixè mortuo voluistis. Multum levamenti illi, multum solatii hòc acerbissimo suo tempore se percepisse inde, fatentur ultrò & perlibenter. Quare & studiosè contendunt semper, ut vicissim vobis ea exhibeant, quæ eos par est, qui non immemores beneficii collati, & quantum debeant aliis, rectè meminerint.

## ORATIO OCTAVA.

## IN FVNERE

JOHANNIS BLUMII,  
J. U. Doctoris.

**P**Remam institutum meum, RECTOR MAGNIFICE, Admodum Reverendi, Amplissimi, Clarissimi, Prudentissimi Viri, & quando alibi de vitâ JOHANNIS BLUMII J. V. D. eximii, Viri Clarissimi, explicatum satis est, nihil ejus in præsentì ampliùs commemorabo. Quantumcunque ævi, quod degimus, est; quàm illustre illud ac clarum; huc tamen summa summarum redit,

*Optima quæque dies miseris mortalibus ævi  
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus,  
Et labor, & dura rapit inclementia mortis.*

Quod si nihil solidi boni inest in vitâ, quid est, quod curis ambitiosis circa eam magnoperè occupari velimus?



Nihil omninò amisit Noster; aut si quid amisit, non  
 damnum illud, sed lucrum est: modò quid amisisse  
 dici debet, qui deteriora melioribus mutavit. Re-  
 linquit matrem; sed quam videbit olim iterum. Re-  
 linquit matrem; sed patri redditur. Nec illi tantum  
 ex cujus sanguine cretus fuit; sed alteri etiam, ac ve-  
 riori, ex cujus halitu primum cœpit. Ut quem com-  
 plexus fide antè, nunc oculis ipsis quoque usurpet.  
 Subtrahitur sororum amplexibus, & iis ipsis redona-  
 tur: valedicit fratribus, & redit ad fratres; hominum  
 cœtus deserit, ut angelorum fruatur consortio; ut  
 cœlum omne occupet, terris excedit. Quis non ap-  
 plaudit institutorum solertię, qui vili pretio merces e-  
 gregias redimunt? & lugendum existimabimus, si  
 quis pro luto ac cinere (nihil aliud sunt mortali-  
 um res) nescio quid regnis omnibus majus invenit?  
 Quanto divinius est, æternam sapientiam Patris  
 Dei, inenarrabilia mysteria edifferentem, audire,  
 quàm Vlpianum aliquem, aut Paullum de stillicidiis  
 respondentem? Quanto exoptabilius, per roseos il-  
 los astrorum ignes incedere, & omnem pulcher-  
 rimum cœli ornatum coram dimetiri oculis ac mi-  
 rari, dum mille interim tripudiantium animarum cho-  
 ri, quibus immistus Noster est, immortalia carmi-  
 na Christo Triumphatori accinunt, quàm inter re-  
 orum sordes ac gemitus obsolescere, & totos dies  
 terrere forum ac tribunalia, quæ vix sine molestiâ ani-  
 mi adeas sapius, non rarò sine conscientię vulnere vix  
 relinquas. Nihil nunc amplius, BLUMI, aut de angustia  
 pectoris, aut de doloribus laterum, aut crebro illo, ac  
 ferè perpetuo cordis palantis anhelitu quereris. Acu-  
 tæ nares, oculi concavi, collapsa tempora, & ut breviter  
 cum



cum Galenicis dicam, Ille Hippocraticus vultus, non, sicut antea, aut tibi terrorem mortis incutit. aut nobis denunciat necessitatem lugendi. Quid nunc calamitates temporis, & illos quotidianas ruinas patriæ, quæ sibi ipsi esse oneri cæpit, commemorem?

----- crudelis ubiq;

*Luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago.*

Quæ quum nec audis, BLUMI, nec vides; multò minùs autem pateris, aut times; felix profectò es, & planè, ut Poetæ loqui solent, bis terq;. Sed felix tu quoque, Mater optima, quæ post amissam natam florentissimam tertio filio nunc orbata, compendiosius in posterum, si quid & nobis acciderit mali, quod avertat Deus, dolore potes. Nobis autem quàm optimè consuluerimus, si, quod offensum sentimus Numen, placare maturè, & crimina nostra potius ac culpas, quàm mortes bonorū hominum deslere instituamus. Qui eò quidem infeliciores habendi, quòd adeò displicemus Deo, ut ejus per hostium rabiem in nos quotidie ira desaviet. Quo cum intulgentissimo nunc utaris, BLUMI, & illis undiq; gaudiis affluas, quorum divinitatem atq; excellentiam nec cogitando saltem comprehendere unquam humana mens potest quæq; soli speranda habent, qui Christum Dominum, ut rectâ fide confessi strenuè, & universâ ratione vivendi exprimere sedulò laborarunt, quo nihil unquam antiquius habuisti; merito facessere procul jubemus lacrimas & omne illud inane officium quærendi. Hanc summam & ineffabilem felicitatem ita tibi gratulati potiùs, ut ad eandem quamprimùm adspirare, unicè omnes exoptemus. Quod restat, meritò vestra, Auditores, de prædicanda humanitas est, qui



in deducendo & comitando hōc Viri Clarissimi funere tam sedulam atqve prolixam operam posuistis. Pro quo summo in se collato beneficio (siquidem, ut sapientes existimant, solennitates exequiarum, viventium magis solatio, quàm ut subsidio mortuis sint, inventæ sunt,) afflictissima, & tot confecta vulneribus mater, nec non fratris infelicissimi, quos in hac ipsâ coronâ, squalentes lacrimis, & vultu ipso ingentem dolorem animi testantes, primo loco adstare cernitis, singulares agunt & habent gratias. Vobisqve universis ac singulis officia sua ac studia prolixè deferunt & pollicentur.

## ORATIO IX.

## IN FVNERE

MAURITII PLUMII,  
MEDICINÆ DOCTORIS ET DESIGNA-  
TI PROF. PUBLICI.

RECTOR MAGNIFICE,

*Reverendi admodum, Nobilissimi, Amplissimi, Excellen-  
tissimi, Clarissimi & Prudentissimi Viri, nec non Juvenes  
& literis & moribus ornatisimi &c.*

PRæclarè prorsus atqve exdignitate vestri cujusque ordinis factum est, quòd in exornando & honestando funere, quod Viro Clarissimo & Præstantissimo, MAURITIO BLUMIO, Medicinæ D. & designato Prof. publico, modo duximus, nulli nec operæ nec studio parcere voluistis. Comitati fuistis ejus exangue corpus longo ordine, quum paucis ante horis id ex his ipsis ædibus efferretur: interfuistis concioni funebri, & divina non tantum oracula, quæ ibi audire licuit, sum-



summâ reverentiâ excepistis; sed & verissimis defuncti  
laudibus benivolè applausistis. Deinde quum dormi-  
torio suo commendaretur, quidquid de BLUMIO no-  
stro mors præter nomen reliquum fecerat, vestro mi-  
nimè defuistis officio; sive supremum Salve ac Vale di-  
cendum funeri, sive futuris ossibus ac cineri lenis atque  
secura quies tacitis animorum votis adprecanda esset.  
Quid de illo commemorem, quòd lugentes consangvi-  
neos mortui & necessarios sublevando eorum immen-  
so dolori, hunc ipsum in locum deducere iterum prom-  
tissimâ humanitate voluistis? Magna ista vestra officia  
sunt. Exequiatores; & plurimas mihi luculentas signi-  
ficationes, tum singularis pietatis, tum acerbissimi  
doloris, quem vobis viri egregii mors objecit, edere  
videntur. Et si enim BLUMIUS noster eam perfectio-  
nem animi, eos honores ac dignitates virtute atque  
fortunâ erat consecutus, ut, quamvis viridi ac florente  
ætate ereptus nobis sit, abundè tamen vixisse ad glori-  
am existimari possit; nunquam non tamen nobis acerba  
ac immatura eorum mors solet accidere, quorum vigilie  
ac studia nescio quid eximii atque præclari in publicâ  
commoda promittebant. Nam qui inertiam vitam, velut  
pecora, transeunt, quotidiè perdunt vivendi causas; at  
verò qui posteritatem cogitant, qui sui memoriam vir-  
tutis operibus meditantur extendere, illis nulla mors  
non repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid  
rumpat. Sed quando ille rerum omnium moderator &  
arbiter DEUS ita nos mortalitatis obligavit legibus, ut si-  
mul ostēderet spem melioris longè ac verè divinæ vitæ,  
in quam transitori essent omnes, qui sanctissima ejus  
præcepta & instituta fidei mente custodissent; gra-  
tulandum potius nostro videtur BLUMIO, quòd ex  
tur-



turbulento & quieto hōc rerum humanarum, ut sic dicam, salo, in beatum illum ac placidum æternę ac incorruptę quietis atqve tranquillitatis portum evectus est; quàm ut obitum ejus iniquiore animo ferre velimus. Neque enim audiendi sunt, qui immaturos nobis comminiscuntur obitus, qui ante tempus mori miserum clament. Quasi verò vitę usura nobis non nisi in longum diem data sit? quasi ad rem pertineat, non quàm benè sed quàm diu aliquis vixerit? Non annis metienda vita, sed actibus est. Nam velut in parvo habitu corporis esse perfectus homo potest; sic in minore temporis modo vita perfecta. Quid illum sexaginta, quid plures anni juvant per imperitiam socordiamve exacti? non diu vixit, diu fuit; imò si rectè calculum ponimus diu mortuus est. Nam ecquid aliud est illud vivere, quàm mori? Decedat igitur quispiam viridis, & antequam effæta senectus eum fato tradat; si boni civis, si boni amici, si boni filii executus est munia, si in nullā vitę parte cessavit, suo tempore mortuus est. Nam ut imperfecta ætas fuerit; attamen vita numeris suis absoluta fuit. Interim tamen non tribuenda tantum venia illis lacrimis, quæ viros præstantes, & quibuscum amantèr atqve conjunctè viximus, deplorant; sed & summo perè laudanda ac deprædicanda illorum est pietas, qui funera eorum, quacunque ratione fas est, cohonestare instituerunt. Quod quum à vobis abundè præstitum sit, quis inveniri potest, qui non singulares atqve ingentes vobis deberi gratias censeat? Ad quas agendas solvendasque eò quidem magis honestissima BLUMIORUM familia se obligatam intelligit, quò majorem ex isto vestro officio solatii vim in hoc amarissimo suo luctu percepit. Quapropter ita persyadeatis vobis,  
Exe-



Exequiatores; me quidem lpondere atqve interprete, nullo non tempore ipsos in id laboraturos sedulò, ut se tam gratos probare possint, quàm vos in ipsos officiosi in præsentiarum esse voluistis. Neque enim ulli operæ, studio aut labori unquam parcent, quibus se aut militare vestris commodis, aut honori atqve existimationi consulere posse intelligent.

## ORATIO X.

## IN FUNERE

D. DANIELIS SENNERTI,  
MEDICINE PROF. PUBL.

Quanta nunc Academiam iterum afflixerit clades, quantusque nos omnes oppresserit dolor, ac mirum in modum confuderit, exempto mortalium coetibus DANIELE SENNERTO, sentire facilius, quàm dicere est. Nullum ingenii flumen, nullus verborum apparatus atqve dicendi copia æquare calamitatis istius magnitudinem satis potest, in quam unius viri amissione incidimus. Tot excellentes ejus virtutes, tot in hanc Academiam non modò, sed universam literarum publicam rem, Medicamque cum primis, extiterunt merita; tanta exinusuata eruditione, quam indefesso labore ac studio paraverat sibi, & tot illustribus monumentis testatam fecerat, tum nostræ Germaniæ, tum ipsis exteris etiam Viri incescit admiratio, ut nulla ullius oratio tot recensendis rebus videatur sufficere, idque SENNERTO pro maximâ laude sit, quòd, dignè qui laudet, inveniri haud queat. De Cæsare dictum legimus, aut nunquã nasci debuisse tam excellēti naturâ

vi-



virum, aut nunquam mori. Ac facile quidem dederò  
 fuisse Julium capacissimo longè ingenio, & rebus om-  
 nibus parem, quas ingredi semel instituisset. Et ta-  
 men quid egit aliud quæso ac fecit, quàm quòd turba-  
 vit armis omnia, & oppressa per vim libertate Patriæ  
 suorum civium sanguine orbem terrarum inundavit?  
 Quantum putabimus, quod per Italiam, Gallias, Bri-  
 tanniasque ac Belgium, quin Aliæ etiam non unam  
 partem, impotentia suæ terrorem circumtulit, nequē  
 cum quoquam hoste congressus est unquam, quem  
 profligatum & victum non viderit tandem; si sui ipsius  
 potens parum, ambitioni, pesti terribili, & tot cupi-  
 ditatibus aliis ac libidinibus sese quotidiè præbuit vin-  
 cendum? Verè satius erat hujusmodi hominem aut  
 nunquam fuisse in lucem editum; aut paullo post, quàm  
 esset natus, defunctum; ne, si duraret, aut detrimenti  
 afferret aliquid, aut mali exempli. Nisi improbum vo-  
 tum & contra naturæ nostræ legem ire videretur, quan-  
 to rectius licuisset optare, ne unquam veniret hora, quæ  
**DANIELEM SENNERTUM** mortalem ostende-  
 ret? Namque si mori non posse prerogativa divinæ natu-  
 re est; quis dignior erit, qui nunquam decedat, quàm qui  
 similitudine morū & meritis quàm proximè ad eam ac-  
 cessit? Ac imitatur divinam naturā, & æmulus adeò Dei  
 est, non qui occidit ac tollit plerimos, sed verò qui ser-  
 vat potius, & quantum potest felices redidit. Hæc illa  
 janua est, quæ cælum aperit: nec quicquam aliud nos  
 magis dignos divino consortio facit. Quàm viam per-  
 petuò Noster secutus adeò est ac pressit, ut nihil prope-  
 modum aliud, quamdiu vixit, videatur spectasse, quàm  
 ut adesset necessitatibus hominum, & omnibus, qui  
 non tam cum ægritudine quadam, quàm ipsā morte  
 sapius



sepius cōflictarentur, non valetudinem magis ac sanitatem, quàm vitam ipsam ac spiritum redderet. Nec quēmqvam in hoc amplissimo cōtū esse arbitror, quē non huiusmodi munere obstrinxerit sibi, & salutari quandoqve ope levarit iacentem. At verò non natum velle virum huiusmodi, quantæ dementiæ, obsecro, esset? Enimverò ita habeo, AUDITORES, hoc ipso ostendere supremum Numen, quàm curet humanum genus, & ei prospectum cupiat, quoties nasci efficit in omni genere excellentes viros. Nam nī id fieret, quamdiu credibile est contineri mortalium res, sibi quē constare? Nam quò præstantiores sunt, quī commodis nostris curandis præsunt, eò se pulchrius quoque habent. Quicquid ab imperitis aut malignis tractatur, id vel corrumpi, vel interire necesse est. Quapropter rectè interpretari beneficium Numinis par est; & quando hac lege concessus nobis SENNER TUS fuit, ut reposceretur olim; non exoptulanda cum DEO hæc ademptio ejus est; verum agenda gratiæ potiùs, quod istud tantum munus dedit. Si ipse SENNER TUS agere ampliùs, quas gessit partes, haud potest: agent tamen, quos voce scriptisque formavit ac finxit. Erit nobiscum fama Viri, & tot ingentiū virtutum exemplar erunt ingenii pignora etiam, tot eruditi ejus libri, qui ut supra invidiam sunt, ita vix ullas temporū vices sentient. Et hi quamdiu durabunt, terenturque studiosè manibꝯ SENNER TOS quidem ipsos non semper habebimus fortè; sed tamen vix unquam carebimus Medicis bonis. Ite igitur, EXEQUIATORES, & quod luxistis nomen hæcenus, id veneramini deinceps; & quando nil restat ampliùs, quod persolvamus corpori, memoriam Viri habete comiter, ejusque gloriæ favete sincerè.

Gra.



Gratias autem, quod in funeribus aliis consuevit fieri, agere, quod hoc perfuncti estis officio, tam non necesse arbitror, ut vos offensum iri metuam, si id instituam. Neque enim dubito plerosque veltrum sic obligatos teneri SENNER TI meritis, ut intelligatis quidem magnam à vobis ipsi deberi gratiam, at quam solvatis dignam satis, ignoretis.

## ORATIO XI.

## IN FUNERE

AMBROSII RHODII MATHE-  
SEOS PROF. PUBL.

**D**UO summa atque præcipua tempora sunt, RECTOR MAGNIFICE, & cæteri omnium ordinum lectissimi & honoratissimi Viri, quibus universum istud, quod homo in terris degit, absolvitur, nascendi unum, alterum moriendi. Quæ ut contraria invicem sint, alterum tamen ad alterum ducit. Nam ut possimus mori quondam, nascimur: & ut vivamus deinceps semper, mortem obimus. Illud auspicatur mimum, & nos producit in scenam, ubi alius dominum, alius servum, hominem quisque, ridendo partim, plurimum flendo dolendoque agat: istud tollit siparium, ac claudit fabulam, & ademtâ personâ, quam sustinui-  
mus, sibi quemque reddit. Vel præmium ablaturum, vel pœnam, prout in vitâ stetit & egit partes. Neutro carere potest, quem fieri hominem oportuit: & necessariò ultimum incidit, qui primo defunctus. Non quod natura ista hominis ex primâ origine, sed quod hæc quasi natura, postquam à conditoris mandato impius recessit. Cum in naturam abiit, quod culpa mo-  
dò &



dò, & prævaricatio erat. Equidem quia AMBROSIIUS RHODIUS Clarif. Vir, id esse ceperat animal, quod appellamus hominem, illud restabat, ut & impleret tandē, quo à divinâ naturâ homo separatur. Quæ sicut principii expers est, ita finem non habet. Neque enim ex solâ mente constabat Noster, quâ maximè definiendum hominem esse statuebat Socrates: nactus & corpus erat; ut conflatum suis partibus, sic resolubile & destruendum in id, unde cepisset. Itaque licet sæpiùs abduceret animum, & ad supera illa divinâq; vocaret subindē, rimatus quicquid arcani cælum regit, qui solis cursus, quod iter Lunæ, qui sidus utrumque labores maneant; quâ cæteri ignes pulcherrimi vagentur lege, quos supra nos rutilare cernimus, tum ut solentur noctium tenebras, tum ut vicissitudines anni temperent ac regant: his quamvis vacaret assiduè, & ita in cælo potiùs, quàm alibi habitaret, nondum tamen humanitatem transcenderat, cujus legibus totum corpus tenebatur, quarum summa atq; postrema est, mortē pati. Quæ ubi semel bonâ fide iniecit manum, averti non potest. Urget, premit, incubat, & ni sequaris, rapit ac trahit. Non hæc Euclidis lineas, non Archimedis vectem, aut & Hipparchi moratur radium: illos autem Samii numeros planè irridet. Nihil tormenta ac machinæ, nil propugnacula aggeresq; adversus eam possunt; subit, penetrat, & quibuscunque artibus ac armis munitus sis, in ipsis præsidiis tuis invadit te, opprimit, sternit. Nolebat vacare militi Syracusanus artifex intentus cogitationibus præclaris, sed morti mox cogebatur vacare: quæ simul & vitam ei, & quicquid formarum, aut jam in pulvere scripserat, aut adhuc figurabat mente, uno ictu delebat. Quem si avertere ingenii vis, & artis divinitas posset, nec in præsentī hîc mihi quicquam



esset negotii, & RHODIO nostro adhuc uteremur. Cui cum persolutum omne sit, quod ejus debebatur manibus, nihil nunc restat, quam ut ad se quisque abeat, & lenem quietem precatus mortuo, Collegæ, Amici, Præceptoris memoriam, quo comitatus genere poterit, prosequatur. Nam lacrimis & ejulationibus indulgere, mulieres magis quam viros decet. Qui detrimenta ac damna quæ passi sunt, non ploratu ac fletu, sed consilio atque prudentiâ levanda censent. Quicquid in RHODIO nostro amavimus mirati quæ sumus, manebit nobiscum & superabit in posterum, nullâ ætate, nullo tempore hauriendum. Duraturum equidem, quamdiu hæc stabit Academia, quam nunquam desituram speramus inter homines, certè vovemus. Tibi verò, ô felicissima sanctissimaque anima, gratulor, quod ex procellis istis & tempestatibus, quæ nos jactant atque concutiunt pessimè eluctatus æternæ tranquillitatis portum tenes, & cælo nunc frueris penitus, quod omne antè eruditissimæ mentis sagacitate emensus es. Hic te oblectas divinis spectaculis & intueris coram, quæ ex longinquo ægrè contemplamur. Quicquid errarunt alii aut hallucinati sunt, dum vel quiescere cæli orbes, vel rotari terram putarent, sine negotio deprehendis. Quæ maculæ Solis aut lunæ offuscent specula, quæ illum candentem orbem stellæ faciant, & si quid gentium in illis siderum orbibus agat, quas pauci hæcenus, præter Lucianum, viderunt: qui cum docere vellet quâ ratione vera scribenda esset Historia, has scilicet fabulas commentus est. Salve amica amataque nobis anima atque æternum vale, & nos, quo quemque ordine suum, fatum oppresserit, omnes expecta. Sed antequam finem dicendi faciam, Vobis RECTOR MAGNIFICE, & cæteri omnium ordinum

num



num lectissimi Viri, tum afflictissimæ viduæ, tum fratris  
mœstissimi nomine, singulares ago & habeo gratias,  
quòd has exequias tam promptè atque prolixè executi  
estis. Contendent illi assiduè dabuntq, operam, ut hanc  
humanitatem vestram singularem, hoc plenum gratis-  
simæ pietatis officium, dignis modis semper compen-  
sent.

## ORATIO DUODECIMA.

## IN FVNERE

M. VALENTINI PREIBISII,  
Dn. Joh. Georg. ab Arnimb. &c. Seren.  
Elect. Sax. copiarum Præfecti genera-  
lis, Concionatoris,

*Rector Magnifice, Perquam Reverendi, Amplissimi,  
Clarissimi ac Prudentissimi Viri &c.*

**T**Riste sanè ac illætabile, sed justum tamen atque so-  
lenne, pro summâ illâ ac incredibili vestrâ bene-  
volentia in optimos quosq; ac studio, officium, M. Va-  
lentino PREIBISIO, Reverendo ac Præstantissimo  
viro, persolvistis. Ecquid enim magis par erat fi-  
eri, quàm ut optimo, & de Ecclesiâ Christi, non mo-  
dò doctrinâ ac voce, sed & exemplo constanti, egregiè  
merito, exequialis iste honor quàm cumulatisimè ex-  
hiberetur? Quamvis facilè concedam, id, sine doloris  
morsu, & quadam animi tristitiâ, fieri vix potuisse. Cum  
ob alias causas, quas commemorare hoc loco necesse nō  
est; tum maximè, quod vos misericordia haud vulgaris  
liberorum tangeret, quos septem ipsos parvos plerosq;

X

2

&amp; non



& nondum confirmatæ ætatis, post se reliquit. Qui cùm ereptâ non ita pridem matre amantissimâ, nunc autem & patre optimo, in quo præcipuè omnes rectè adolescendi spes posuerunt hætenus & collocarunt, adempto, omni præsidio & ipsâ propemodum spe destituti sint, quid agent, quæso eiectioni patriâ, à consanguineis suis exules? in cuius sinum confugient? unde & opem & auxilium suæ imbecillitati expectabunt? Quæ quidem dum cogito mecum & nunc recenseo, tanta profectò me miseratio capit, ut hæream quodammodò, ac in dicendo progrevix possim. Sed quantum mæroris ac sollicitudinis hoc vestrum vobis iniecit officium, tantum & spei optimæ, & præsentissimæ consolationis id orphanis miseris affert. Quemadmodum enim nautæ deprensi turbulentâ tempestate, benè audent sperare, si detergeri cælum paulisper, & aliqua iterum lux apparere procul incipiat, ut videre scilicet & animadvertere possint, quò connitendum ipsis & dirigendus cursus sit, quæ declinare ac evitare conveniant: ita & illi quoque ex istâ benevolentia vestrâ, quæ in mediis quasi tenebris ipsis affulget, colligunt acprehendunt, ecquos adire potissimum, quibus necessitates suas credere, quorum præcipuè opem ac patrocinium deinceps implorare debeant. Quapropter eo nomine vobis singulares ac summas agunt gratias. Agunt, inquam: nam habere ac referre qui possint, & constituti in hoc ætatis, & tali suâ fortunâ? & agunt ita, ut has non modò, sed plures alias deinceps debere optent pro beneficiis plurimis, quæ & ipsi expectant à vobis, & illa insignis bonitas vestra polliceri videtur. Quo circa agite, Viri optimi atque clarissimi, & non tam gratiam ab orphanis miseris accipite, quàm ipsos in fidem ac patrocinium vestrum suscipite: idque elaborate



rate quæso, ut suo PREIBISIO deinceps, patre desideratissimo, cui supremum honorem nunc persolvistis, minore dolore ac ægritudine animi carere possint. Cogitate humanos casus, & illas lubricas nimis atque incertas vices, quibus perpetuò obnoxii vivimus: perpendite, quod Poëta ille in scenâ quidem, cæterum tanquam oraculum dixit ac edidit,

*Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.*

Ne itaque durior conditione sint PREIBISII liberi, quam vestris olim, si idem fati genus, quod tamen avertat Deus, opprimat fortè, optetis contingere, diligentem quæso navate operam, & summo studio contendite. Nihil profectò dignius homine est, quam adesse hominibus, & intercessisse miseræ, & emendasse fortunam, & novum calamitosi fatum dedisse. Et est in cælo Deus, qui videt non modò ac intuetur, quæ quisque benignè fecerit aliis; sed dignis quoque præmiis repensare solet.

# ORATIO DECIMA TERTIA.

## IN FUNERE

SEBASTIANI MVLLERI,

Vratisl. Silesii, SS Theol.

Studiofi.

**D**Enatalibus, indole, moribusque ac studiis SEBASTIANI MVLLERI, Vratislaviensis Silesii, Ornatisissimi ac Literatissimi Juvenis, cui hoc institutum, & celebratum solenne funebre, quum alibi satis dictum sit, nolo nunc quicquam ampliùs de iis exponere, ne rerum earundem iteratâ narratione



illudere vestræ patientiæ videri possim. Æquum potius est considerare vitæ nostræ fragilitatem, & quàm frustrâ spem atque fiduciam aliquam in eâ ponamus ætate, quæ propter vigorem suum atque alacritatem procul abesse à morte vulgò existimatur. Certè Noster nec sexaginta aut plures, imò ne quadraginta quidem annos, sed vix dimidium impleverat, vix limen institerat juventutis, cùm decedendum ipsi de vita fuit. Equidem ut valeamus maximè corpore, ut lateri, sicut Poëta ait, pedibusque benè sit; tamen tot vices ac casus intervenire possunt, quæ vitam eripiant, ut nulla hora, nullum momentum non esse connexum cùm fine ultimo existimare oporteat. Quò magis cavere par est, ne imparatos mors opprimat, magisque esse sollicitos, convenit, ut moriamur benè; quàm ut fortunatè ac suaviter transigamus vitam, quò plerorumque tamen curæ contendunt. Neque enim res facilis adeò, aut parvi momenti est, rectè obire diem suum; sed tam ardua certè atque difficilis, ut huic cuique omne vitæ nostræ tempus impendi debeat. Namque ab uno isthoc articulo, omnis nostra veraque pendet felicitas. Nam ante funus ac obitum quis unquam mortalium se bona, ut ita dicam, fide perhibere felicem possit? Quocirca si ex hoc ipso funere occasionem capiemus descendendi paulò altiùs in hanc cogitationem, nã omnium optimè hoc collocasse tempus videbimur. Pro ipso autem officio vestro, quod ultimum atque supremum præstitistis defuncto, Vobis RECTOR MAGNIFICE, Patres Academicæ Reverendi admodùm, Amplissimi, Experientissimi atque Clarissimi, Consules ac Senatores Prudentissimi, qui que adestis reliqui Ornatisissimi ac Humanissimi Viri ac Juvenes, cùm fratris ac amicorum, qui curarunt



rarunt funus, tūm Patris ipsius nomine (quamvis hinc longè abest, & lætiora omnia procul dubio de filio expectat,) singulares ago & habeo gratias. Dabunt vicissim operam, ut nulla non vobis humanitatis officia studiaque, quacunque ratione poterunt, sedulò semper exhibeant ac præstent.

## ORATIO DECIMA QVARTA.

## IN FVNERE

JEREMIÆ GODOFREDI

Reichelmi, Hallens. Sax. J. U.

Studiofi.

CUM omnia ea, quæ ad funus istud, quod duximus, solenni more celebrandum requiri posse videbantur, peracta sint, nihil nunc restat aliud, quàm ut iste tot præstantissimorum virorum cætus post actas gratias dimittatur. Nam de egregio, cui hæc justa persoluta sunt, Juvene, quid plura dicere attinet, cum de ipsius virtutibus dotibusque, quibus præ multis aliis mirificè exornatus fuit, alibi satis commemoratum est: lamentari autem & conqueri de ejus acerbo & immaturo (ut ferè ratiocinari solemus homines) obitu, nihil profectò aliud esset, quàm incendere animorum dolores, & dilatare vulnus, quod obducendum sanandumque erat? Dignus quidem erat REICHELMIUS noster, ut quàm longissimè vitam produceret, atque repræsentaret illas spes, quas plurimàs ac præclarissimas hæctenus de se præbuit. Neque enim quisquam, opinor, est, cui is paullò notior fuit,



fuit, qui non exilimet, eum, eximium & Reipubl. per quam utilem virum daturum, & ingens Deus adeò in gentem atque familiam suam, tot aliàs ornamentis insignem, collaturum, si ad virilem maturitatem ætas ipsius adduci posset. Sed quia rerum arbitro Deo aliter visum est, acquiescere certè in voluntate ejus oportet, & id statuere optimum, quod per ipsum evenit. Nemo fortuitò atque ab se gignitur editurque in lucem. Dei opus homo est: cujus auspiciis ac ductu sicut ingredimur vitam, sic & de illa digredimur ipsius jussu, idemque Imperator & nobis assignat ordinem, & vacationem à militiâ concedit. Si certum & exploratum nobis esse potuisset, perpetuis prosperis, & semper ex voto animi fluentibus rebus usurum fuisse REICHELMIUM nostrum; tum deplorandus equidè ac lugendus videretur, cui tanta intercepta esset felicitas: nunc cum sperare id quidem homo natus nemo queat; & ista tempora, quæ inciderunt, nihil aliud quam calamitates atque misérias, & universæ propemodum patriæ excidium minitantur; equidem non modò nihil mali passus noster est, cum juvenis obiit; sed multò felicior haberi debet, infinitis aliis, qui istiusmodi rerum metu in modum pessimum quotidie excruciantur. Non illum tempestas concutiet, quæ supra capita nostra imminet; non merget naufragium, quod publicè timetur. Supra discrimina omnia & casus positus est, atque in eum deductus locus, ubi nulla bella, nullæ cladés uspiam turbant; sed æterna & inconcussa felicitas omnes ambit. Quam penè invidere ipsi videntur, qui decessisse supra modum dolere mœrereque velint. Vobis itaque, RECTOR MAGNIFICE, & cæteri omnium ordinum lectissimi ac honoratissimi viri,

tum



tum Patris Amplissimi, quamquam absentis, tum fratrum Affiniumque nomine, quos astare squalentes lacrimis cernitis, gratias ago, quod has exequias tam comiter, atque prolixè prosequi voluistis. Multum illi ex hoc officii genere levamenti ceperunt doloris sui acerbissimi: quo circa vicissim enixè dabunt operam, ut ea officia studiaque vobis exhibeant, quæ serviant vestris commodis, & vobis cum primis grata jucundaque accidant.

## ORATIO XV.

## IN FVNERE

JOHANNIS ERNESTI REI-  
CHELMI, HALLENS. SAX.  
J. U. STUDIO SI.

RECTOR MAGNIFICE,

*Admodum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi, Cla-  
rissimi ac Prudentissimi Viri, &c.*

CUM lubrica vitæ humanæ, & illos dubios atque an-  
cipites æstus ac turbines, quibus assiduè agitantur  
mortalium res & nunc imprimis volvuntur, recogito, vi-  
deor mihi optimo jure JOHANNEM ERNE-  
STUM REICHELMIUM, quem modò hu-  
mavimus, juvenem præstantissimum, verè beatum pos-  
sum pronunciare. Nam quot dolorum, quot ægri-  
tudinum ac ærumnarum fecisse compendium exi-  
stimandus est, cum nudius quivus, adolescens adhuc  
nondum 20. annum egressus, rebus humanis exime-

X. 5

retur?



retur? Enimverò hæc vita nostra ecquid aliud est, quàm pelagus quoddã vastum ac multis infame naufragiis, ubi non modò vehementissimæ tempestates ferunt assidue, & inter se depræliantur veluti, sed & innumerabiles syrtes ac brevia, cœciqve scopuli timendi sunt, ut non tantùm ex hieme servari navem, sed ipsam adeò tranquillitatem,

*Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti,*

cavere satis, multò difficillimum sit. Quapropter, si qui susceptæ navigationis cursum brevi potuerunt absolvere, nec diu jactati alto sunt, & cum laboribus, quos negotiantes in mari experiri oportet, luctati fuerunt, felices deprædicamus, redeuntes domum summâ cum gratulatione excipere solemus; quidni & illis id fieri par est, qui non diu morati in vitâ, & adolescentes statim, aut juvenes, eâ defungi poterunt? Quod adeò eximium nonnullis visum est, ut non nisi quos Dii ament præcipuè, contingere posse arbitrati sint.

Ὅν οἱ Θεοὶ Φιλῶσιν ἀποθνήσκει νέος,

Menander dixit. Quod in Bacchidibus Latinus Comicus ita vertit, *Quem dii diligunt, adolescens moritur.* Nihil quidem earum rerum REICHELMIO nostro deerat, quibus præcipuè felicitas hominum censeretur. Erat primario loco inter suos natus, florebat affinitatibus amplissimis, & iis præterea ingenii animiq; dotibus præstabat, unde non nisi egregia quæq; & singularia sibi polliceri posset. Sed quod familiæ ac generis decus, quæ dignitas officiorum ac splendor comparari cum eâ gloriâ, cum eâ felicitate potest, quâ nunc in omne ævum potitus gaudet? Equidem quòd à charissimis suis distractus, nullam, opinor, ægritudinem asferre



ferre potest, qui conjunctus cum Deo, qui cum purissimis illis spiritibus æternam vitam agat. Et quanti divitias, maximasque quantumlibet opes æstimet, qui tot sceptræ & fasces, tot potentissima regna longè infra se posita videat? Quæ cum recenseo mecum atque cum animo reputo, videor mihi ipsum REICHELMIIUM nostrum, sed longè augustiore formâ, quàm antea fuit, humanaque majore astantem videre, & in hunc modum audire loquentem: Non est, parentes dulcissimi, quòd mea causa lugeatis: nec enim voluntati Dei refragari fas est, & nihil omninò mali passus sum. Quin longè majoribus bonis affectus lætor, quàm quæ concipere satis vestrùm quispiam ac intelligere prorsus potest. Non ita subtractus vobis sum, ut in perpetuum careatis: erit tempus, cum reddar vobis iterum, imò cum vos mihi reddemini. An major cogitari potest felicitas, quàm Deo uniri? An unquam cum quoquam agatur melius, quàm qui longissimè exemptus terris est, ubi plerique aut infelices ipsi sunt, aut faciunt tales? nemo securus certè, nemo quietus satis unquam? Inde cum nunc discesserim, & vosmetipsi cupiatis educi, quid deplorabitis, quælo, me præcessisse, quò sequi quamprimùm & pervenire unicè semper exoptatis? Velis nolis, Pater, me lugere non potes. Hæc in præsentia. Amplissime Vir, videtur mihi filius tuus ad te verba facere, quæ quò attentius consideraveris, eò plus certè solatii ac levamenti inde tibi decerpes. Et est profectò ea tua pietas, ut nunquam non Deo parendum esse existimes: ea sapientia, ut constanter ferenda putes, quæ non possunt mutari.

*Durum, sed levius fit patientiâ.*

*Quicquid corrigere est nefas.*

Quod



Quod restat vobis, Rector MAGNIFICE, cæterique omnium ordinum lectissim. & honoratissimi Viri nomine, singulares ago & habeo gratias, quòd has desideratissimi filii exequias tam frequenti comitatu prosequi voluistis. Nam cum non parùm solatii ex istac vestra humanitate præceperit, facilè videt, quando officio vobis obstrictus & alligatus sit. Quo circa id sedulò contendet ac laborabit, ut, quoad poterit fieri vestris commodis ac utilitatibus semper studeat atque interserviat.

## ORATIO XVI.

IN PVNERE

ANTONII FABRICII, STE-  
TINENS. POMERAN. J. U.  
STUDIOSI.

RECTOR MAGNIFICE,

*Patres Academici Reverendi admodum, Amplissimi Clarissimiq; Consules ac Senatores prudentissimi, & tu juvenus nobilissima atq; lectissima.*

**I**Ta comparatum fermè nobilcum est, ponimus longè nostras spes, & dispensamus futura, & cum mortales nati simus, hoc est, in singulas horas finiendi, ejus tamen vix unquam satis reminiscamur. Præcipuè cum firmi valentesq; sumus, & quod poëta ait, lateri pedibusq; bene est. Cum certè tam longè à fine nostro omnis cogitatio abest, quàm cætera nostra extra timorem mortis posita videntur. Equidem cum ante hos paucos dies ANTONII FABRICII, Præstantissimi Juvenis, quem modò humavimus, intuerer florè, & quæ



&, quæ in eo notabatur alacritatem indolis recogita-  
rem, minimè omnium existimabam futurum, ut in præ-  
senti aut ei à vobis eundæ essent exequiæ, aut mihi in e-  
jus funere nonnihil verborum faciendum. Alia omnia  
& persvadebam meo animo, & Parentibus amplissimis,  
quin ipsi Patriæ etiam, promittebam. Eas enim viven-  
di rationes instituisse mihi videbatur ANTONIUS;  
ut qui in vitâ nihil magis colendum virtute existimaret:  
ita versari in studiis; tamquam hæc sola essent, unde a-  
ditus sibi ad paterni avitque nominis gloriam patere  
posset. At quàm fefellit me hæc opinio & auguratio  
mea? Quam longè à suis juxta & aliorum votis Nolter  
jacet? Non illum ætatis flos lætissimusque annorum  
vigor tueri potuit: non morum venustas, & si quæ al-  
lia sunt, quæ nunquam non in adolescentibus amare &  
magnificare solemus. Intercisa everlaque nunc est o-  
mnis de eo concepta spes: & manifestissimè patet, ni-  
hil verius à sapientissimis viris unquam potuisse pro-  
nuciari, quàm quæ de homine statuerunt: ζῶν esse  
ἐφήμερον: & ἐλιγοχρόνιον φαντασμα: & quiddam mu-  
tabile in singula momenta: &, quod præcipuè futilita-  
tem ejus exprimit, somnium umbræ. Nam quid fuga-  
cius umbra aut inanius est? Somnium verò priusquam  
tenetur, elabitur & transit. Et tamen tanta molimur  
assiduè ac agitamur animis: & cùm tot septi casibus  
undiq; & circumvallati veluti simus, non providemus  
illos magis, quàm provocamus ultrò atque laceessimus.  
Quid clausum nobis, quid intentatum sinimus? Belli-  
geramus, navigamus, peregrinamur per remotissimas  
terras, & inter mille labores periclitamur vitam quotidiè  
non alio fine, quàm ut præsidia comparemus nobis, tū  
jucun-



lucundissimè, tum & longissimè vivendi. Quo sit, ut dum tenemus curas & cogitationes nostras omnes occupatas extra nos, in nosmet ipsos descendamus rarius, & consideremus, non in perpetuum datum nobis spiritum: hancque compagem corporis, cujus causa tot adimus discrimina, ea conditione esse, ut horis singulis, imò momentis, solvi & destrui queat. Dormientibus itaque similes agimus, qui delectantur simulacris quibusdam vanis, quæ per quietem vident; nec remiscuntur evigilandum esse denuò, & omnem mox evanescere inanis imaginis voluptatem. Sed in sententiam istam plura adjicere necesse non est. Nunc quidem, cum mihi non modò cum eruditissimis viris, sed sapientissimis quoque, res est. Quorum proprium semper fuit, id dare operam, ut nossent se, & mortem assidue medirarentur. In quo omnem philosophandi vim positam statuebat Plato. Neque id falsò quidem: cum id divinæ quoque literę inculcent. Ego verò FABRICIUM nostrum beatum prorsus statuo, qui Juvenis admodum valedixit rebus humanis, & ante decessit vita, quàm posset sentire, nihil reverà eam esse aliud, quàm officinam quandam dolorum & miseriaram, ubi prematur semper alius, & alius premat. Multi venerunt ad grandiores ætatem, & plures fecerunt annos, non alio fructu, quàm ut cruciarentur malis diu, quòd diu viverent, & infelicissimi morerentur tandem, qui fortunatissimi obire poterant, si paullò maturius obiissent. Nihil hujus timendum nostro est: prævenit calamitates omnes & clades; & tenet portum, priusquam aut mutiletur navis, aut elidatur penitus atque desidat. Nos infelices sumus ac miseri, & inter media aliorum naufragia jactamur ac circumagimur, dubii, quæ nos  
for-



fortuna tandem maneat, quem habituri finem nostri labores. Utrumne nos demersura tempestas eadem, aut nudos ac inopes in littus aliquod ejectione. Vobis **RECTOR MAGNIFICE**, & cæteri Exequiatores omnium ordinum honoratissimi atque lectissimi, cum Parentum absentium, tum Popularium nomine, qui curarunt interim funus, singulares ago gratias, quod ad exequias istas tam frequentes convenistis. Quod vestrum studium uti eximium est, & plenum humanissimæ pietatis; ita vicissim illi diligentem navabunt operam, ut omni officii genere, quod gratum vobis fore intelligent, quoad poterunt, compensent.

## ORATIO XVII,

## IN FVNERE

**CASPARI ANKELMANNI,**

Lips. Misn. J. U. Studiosi,

**RECTOR MAGNIFICE,**

*Patres Academici per quàm Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi, atq; Clarissimi:*

nec non cæteri omnium ordinum Lectissimi ac Honoratissimi Viri:

**D**E natalibus, indole moribusque ac studiis **CASPARIS ANKELMANNI**, Ornatissimi Juvenis, cui hoc institutum ac celebratum solenne funebre est, cum alibi satis commemoratum atq; expositum sit, nihil nunc attinet in eam sententiam plura dicere, & rerum earundem repetitione molestiam vobis creare.

Poti-



Potius est considerare fragilitatem vitæ humanæ, & quàm nequicquam confidamus annis, qui per viriditatem suam, ut ita loquar, abesse procul à morte videbantur. Non eò ætatis pervenerat noster, quod aut senectus ipsa esset, aut saltem proximum senectutis: nondum vicelimum annum attigerat, ac ita vix quidem aspicere ceperat juventutis limen, cum ei de vitâ discedendum esset. Equidem nulla non ætas morbis patet: & invenit locum facile mors, ubi morbus invenit. Sicut in certas partes descripta hominis ætas est; ita quælibet harum peculiaribus morbis exposita est. Et in his nullus ferme tam contemnendus ac levis, qui non elidere spiritum, & interficere vitam queat. Ac si vel valeamus maximè, si quod Poëta ait, lateri pedibusque bene sit; tamen tot alii casus ac vices nos undique obident ac cingunt, ut horam quamlibet cum fine conjunctam, & nobis supremam esse posse, existimare conveniat. Quò magis cavendum, ne imparatos opprimat mors: & dare operam par est, ac providere, potius ut moriamur bene, quàm ut jucundè ac molliter transigamus ætatem, quò plerorumque vota laboresque contendunt. Falluntur magnopere, qui facilem rem, nec magni momenti esse putant, emittere spiritum, & suum, cum venit, obire diem. Arduum prorsus gravissimumque negotium est, à cujus administratione præcipuè omnis nostra, quæ aut optari unquam, aut etiam sperari potest, felicitas, pendet. Nam quotusquisque ante funus ac obitum sese beatum statuere aut prædicare uspiam possit? Quamdiu versamur inter homines infinitis casibus atque calamitatibus sumus obnoxii. Quas nec evadere semper prudentissimis licet; & fortunatissimi non rarò incidunt.

Qva-



Quare licet quandoque careamus malis; nunquam tamen extra eorum metum positi sumus. Quò fit, ut nunquam non ex aliquâ parte miseri simus & infelices. Quapropter si ex præsentī funere capiemus causam recogitandi nobiscum hæc paullò altius; nã omnium optimè sumsisse nos tempus, & collocasse operam existimare oportet. Enimverò qui florentissimos quoque abire ac mori videat, nullam omninò ab hac necessitate excipiet ætatem. Et quotusquisque non erit sollicitus de fine suo, qui in momenta singula se esse mortalem recordetur? Erat quidem eximia spes, si ANCKELMANNUS noster ad maiorem ætatis adulesceret modum, & ad maturitatem perveniret adeò, fore, ut utilitates insignes in rem conferret communem. Nam & valebat ingenio, & erat industrius in studiis, & naturali quadam rectitudine animi ad honestum ac bonum ferebatur. Quæ certè ejusmodi dotes sunt, ut omnium optimè de genere humano merituræ videantur. Sed ea conditione nascimur homines, uti imperium in nos exerceat, qui universo mundo præest, & quisque nostrum non tantum vivat, quantum fortasse aut optet ipse, aut alii expetant; sed quantum cuique concedit & admetitur quasi Deus. A quo, ceu fonte aliquo, omnium nostræ derivantur vitæ: ut si se nobis hæc vena subtrahat, exarescere illicò nos ac interire oporteat. Nec tamen ut desinamus penitus; sed ut ad tempus videamur desisse, & mox deinde in multò excellentiorē vitā redeamus. Quâ lege sicut & ANCKELMANNUS auspicatus lucem est; ita eandem deposuit quoque: & corpus quidem reliquit terræ, cui nunc commendatum solenniter est, ut redigatur in suam originem, & in cælestem quandam ac immortalem naturam pereundo re-

Y

for-



formetur: animam verò reddidit Deo, cuius depositum pariter & exemplar erat. Quibus in rebus cum summa & maxima felicitas posita sit, quis locus luctui esse possit magnopere, invenire haud possum. Is enim non nisi miseris atque afflictis rebus nostris debetur. Quamquam vix quicquam remedii ac levamenti inde ad eas accedat.

----- *Nam viam, quam ceperint,  
Pergent eandem, seu fleas, seu non fleas.*

Quod restat, Vobis, RECTOR MAGNIFICE & Academici Patres, nec non reliqui exequiatores omnium ordinum lectissimi ac honoratissimi, summas ac singulares ago & habeo gratias, quod Præstantissimo Juveni supremum istud officium tam prolixè ac promptè voluistis præstare. Fecistis equidem hac in parte, quod expectari ab illâ propriâ vobis humanitate cum primis poterat; & honestissimæ ANCKELMAN-  
NORUM familiæ perhonorificum esset. Quare ut non vulgaris officii genere se obligatam vobis intelligit; ita nunquam non contendet & laborabit seriò; sic se ut comparet erga vos ac gerat semper, quò de ipsius studiis & singulari affectione vicissim constet.

ORA:



## ORATIO DECIMA OCTAVA.

## IN FUNERE

REGINÆ TŪNZELIÆ,

D. Wilhelmi Lyseri conjugis

RECTOR MAGNIFICE, *Patres Academ. Amplissimi, Consules Prudentissimi, ut & reliqui omnium ordinum Clarissimi, ac Præstantissimi Viri, &c.*

Nunc demum sentio, quantum mihi imponi oneris passus sim, & quam parum certe memor fuerim Horatiani illius præcepti, quo explorare iubemur humeros quid valeant, quid ferre recusent. Dicendum mihi in cœtu summorum doctissimorumque virorum est; quod quam grave ac arduum sit, quotusquisque nescit? Dicendum mihi Lyseri nomine est; ad quod sustinendum, Deum immortalem, quanto ingenio opus erat! Dicendum mihi de REGINA TUNZELIA est, incomparabili scemina, cuius virtutes, aut prædicare, ut par erat, aut deplorare, quantum satis, vel disertissimi quique desperent. Solet hoc bajulis, & qui vecturas corpore faciunt, non raro accidere, ut si quod onus iniquius receperint, aut statim succumbant, aut certe non diu sufficient: quorum alterum etsi verendum maxime erat, ne & mihi in præsentī negotio accideret; tamen quando semel hanc aleam jecimus, & huic, ut ita dicam; nos comisimus mari vela retro dare omnino non licet. Sed in REGINA nostra quam rerum nos urget gravitas, tam multitudo earundem dubios reddit. Quemadmodum enim viatores



hærerent, cum in ejusmodi locum inciderint, ubi plures vitæ coeunt; sic ego quoque, cum tot egregiis undiquaque ornatam virtutibus TUNZELIAM nostram intueor, nescio sane, quid primum afferre in medium, quid loco ultimo commemorare debeam. Nam si de fide atque affectu incredibili, quo & maritum conjunctissimum, & liberos semper complexa est, ingrederer dicere, verendum erat, ne manum mihi pietas religioque injicerent, & primæ omnium vellent commemorari. Jam de modestia & humanitate si verba facerem, scriptura dicam videbatur mihi illico magnitudo animi ac generositas, quæ supra sexus conditionem in eâ fuit, quasi à me illius ratio parum certe habita fuisset. Sic nollet innocentia cedere efficacia, frugalitati benignitas, prudentia probitati. Sæpe meminimus fieri, ut, cum ingentes summæ solvendæ sunt, non numeretur pecunia, sed appendatur: hoc in præsentî imitabor, & quando tot tamque præclaras virtutes scemina seorsim atque distincte explicari non possum, eas conspabo raptim, & in unum commistas vobis mirandas & perpendendas relinquam. O autem incertas nimium dubiasque humanas res! ô optimorum hominum brevia citataque curricula! Ergone hoc Patrem, hoc Conjugem amantissimum sperare par erat, ut post tot charissimorum suorum mortes, ille filiâ, iste uxore, tam juveni, tam florente, tot maximis rebus ornatissimâ, privaretur? An non in alios potius debeat hoc fulmen expetere, qui nulli bonæ rei sint, & societatem humanam onerant magis, quam ornant, quorum ubique, ut Comicus loquitur, messem uberrimam metere licet? Hos aut de medio tolli penitus, aut saltem calamitate aliqua admoneri, si forte suos errores agnoscere, &

me-



meliora assuescere animis possent, intereat publice; non verò ejusmodi viris qui de Ecclesiâ, qui de communi patriâ re tot modis egregiis, & dudum essent meriti, & indies magisque benè mereri studerent, tantas clades afferre. Hæc quidem in mentem venire non nemini, imo & versari in ore jure quodam posse videbantur, qui quidem recogitet, quantum in REGINA TVNZELIA amissum sit, quibus carendum in posterum bonis, non autem qua lege atque conditione data olim fue: it, aut quo pervenerit, nunc sublata. Hæc enim qui diligentius secum reputet, & sapientiæ præceptis potius, quàm dolori ac luctui, commodet animum, is nec ultra fines legitimos mærorem finet progredi, & quàm extulimus fœminam optimam, non tam lugendam, quàm desiderandam leniter animadvertet. At quid à tempore impetremus potius, quæ multò præclarius recta nobis ratio suppeditet? Hoc sapientis & eruditi hominis est, præoccupare remedia, & sua, ipsius lenire prudentiâ, quæ in aliis non nisi dies mitigare potest. Sed rationes compescendi dolorem ac luctum, & unde peti debeant, commemorare, alterius loci est: in hac tot eruditissimorum virorum corona, vel leviter saltem perstringere, ineptum foret. Nunc te extremum alloquor, REGINA TVNZELIA, quæ simul exemta fuisti viventium numero, simul calamitatum omnium ac malorum, quæ versant assidue, & nunc cum primis vexant mortales, immunis & libera exististi. Quam licet usurpare oculis ampliùs, & tot eximias dotes in te coràm tueri & admirari non possumus, tamen, quæ maximarum virtutum exempla reliquisti, si non æterna fuerint, quàm diutissimè certè nobiscum erunt; & desiderium tui lenient. Salve, ô be-



tissima, iterum atque iterum, & æternum vale: nos Te, quo Deus & natura permiserit ordine, omnes sequemur. Vobis autem, quod superest, **RECTOR MAGNIFICE**, cæterique ordinum omnium lectissimi Viri, Wilhelmus Lyserus, quem desideratissimæ Conjugis obitu consternatum mirificè concussūque cernitis, summas agit haberque gratias, quòd tantâ frequentis uxoris exequias celebrare voluistis. Quod uti magnæ solatio ipsi ac levamento fuit; ita vicissim diligentissimam navabit operam, ut omnia quoad poterit, vobis humanitatis studia atque officia semper exhibeat,

---

ORATIO DECIMA NONA.

IN FVNERE

MARIÆ SEELFISCHIÆ,  
D. Wolfgangi Schalleri Medicinæ Prof.  
Publ. Conjugis.

**S**I quis in hac illustri corona est, qui super laudibus Clarissimæ foeminæ, cui modò funus fecimus, ornatam prolixamque à me orationem exspectet, is ut ejus rei mihi gratiam faciat, vehementer oro. Ut quid enim in afferendo illius decore sudandum mihi anxie sit, quam nemo ullus hætenus vituperavit? Quod nescio sanè, an non super omnes, ut sic dicam, coronas laudum, super universa encomiorum ornamenta longè ponendum sit. Atque ut id quam maximè vellem aggredi, verendum tamen esset, ne, commemorando defunctæ laudes, infelicissimi vidui desiderium magis accenderem, & immedicabilis vulneris dolorem exacerbarem.

Præ-



Præterea quum jamdudum de vita ejus alibi expositum sit, ingratum id omne fuerit, quicquid ejus rei amplius in medium produceretur. Itaque ne aut splendidissimo huic molestus cœtui, aut in afflictissimum viduum crudelis essem, etiam atque etiam mihi cavendum fuit. Quum itaque debita justorum solennia, sui exequiarum honores MARIE nostræ ritè persoluti sint, ei que Vos rei, non sine clarissimo interni affectus & Christianæ condolentiæ documento tam frequenter interfueritis, vestrum officium potius, vestram pietatem, EXEQUI-ATORES, deprædicare convenit, quàm decantandis mortuæ laudibus ulteriorem operam navare. Etenim quamvis hoc totum negotium funebre, aut persanare altissimi plagam vulneris, aut sortem inexplicabilis damni reparare minimè queat: negari tamen non potest, lenius mordere luctum & lacrimas, quas consimili dolore alii humaniter frequentant. Quod quum & in præfenti quoque, tum afflictissimus viduus, tum cæteri, ad quos hoc funus jure sanguinis pertinet, non leviter certè sentiant, quanto officio vobis obstricti sint, vident quidem, cæterum, quas gratias referre habeant, invenire vix possunt. Quod si tamen illis aliqua offeretur occasio, quâ sese hoc exsolvere posse debito intelligant, nã illam gratanter arripiant, suoque officio minimè omnium deerunt. Id quod universis & singulis, me quidem sponsore atque interprete, sanctissimè promittunt ac pollicentur.



## OATIO VIGESIMA.

IN FVNERE

MARIÆ POLEMANNIÆ,  
 Quirini Schacheri, Reip. Lipsiensis  
 Senatoris & Mercatoris primarii,  
 conjugis.

**Q**Uæ luctum incendere, & faces dolori subjicere  
 queant, plura equidem mors Ornatisimæ scemi-  
 næ MARIÆ SCHACHERIÆ, quàm modò humavi-  
 mus, videtur posse suppeditare. Nam primò ipsa ætas  
 nondum egressa juventutis limen, quantum ad afferen-  
 dum mœrorem momentum habet? Deinde virtus sin-  
 gularis, & tot eximiæ, quibus præstitit, animi pariter ac  
 corporis dotes, non possunt nisi acerbissimum sui desi-  
 derium relinquere. Huc accedunt parvuli, quos liquit  
 impuberes, & destitutos materno præsidio: accedit & i-  
 stud etiam, quod profuga domo obiit, nec inter cognat-  
 orum sedes potuit condi ac sepeliri. Ac fateor equidem  
 hæc primâ specie videri talia, quæ mirum in modum sol-  
 licitare animum, mœroremque afferre incredibilem  
 possint: at verò si perpendenda accuratius, atque ad i-  
 psam rerum veritatem, non opinionem exigenda essent,  
 ostenderem faciliè, ita comparata esse omnia, quæ nec  
 materiam præbere luctui (cùm nec miseriæ quicquam  
 habeant) & pleraque multum solatii continere videan-  
 tur. Enimverò quò longiùs à Senectute abfuit, hoc  
 minus malorum in vitâ experta est. Et est Senectus  
 ipsa malum. Jam quòd virtutibus plurimis iisque exi-  
 miis



miis ornata fuit, hoc ipso fit ejus tolerabilior obitus, dū omni culpā vacavit. Et sequuntur verissima innocentiam præmia, quando excessimus terris. Hic enim sæpe aut non cognoscitur satis, aut negligitur; vel etiam contemnitur, quin & premitur virtus. Quum itaque nostra tot malis rebus perfuncta sit, nec ullas injurias casusve adversos timere habeat, & undique nunc divinā luce ac ineffabili gaudiorum lætitia circumfluat, potius est, ut gratulemur ei quod tantā felicitate potita sit, quàm ut dolere velimus impatientius, quòd hinc erepta. Nam parvulos quod attinet, non plane reliquit orphanos: utuntur patre pientissimo, utuntur tot amantissimis sui consanguineis: quodque maximum est, summum atque communem omnium parentem Deum agnoscunt. Porro si domi non obiit, non tamen in peregrino obiit: obiit inter homines, & hos necessitate sanguinis sibi devinctos: obiit, cum jam desideratissimum conjugem liberosque complexa esset. Quæ cum ita sint, non video equidem, quod aut ipsam miseram facere, aut luctui suppeditare materiam queat. Atque si misera non est, & felix habenda potius, si consideremus unde erepta illa sit, & quò delata, profectò lugeri MARIA & deplorari jure non potest. Quocirca ponendus dolori modus est, & minimè permittendum ei, ut impetret animo, & supra rectam rationem se efferat, sed ut admittat remedia, iisque adhibitis placidè acquiescat.

*Durum; sed levius fit patientiā,  
Quicquid corrigere est nefas.*

Nunc vobis, RECTOR MAGNIFICE, & ceteri omnium ordinum lectissimi ac honoratissimi viri singulares ago & habeo gratias, quod funus istud exi-



mīæ fœminæ tam frequenti comitatu deducere exequi-  
q̃ue voluistis. Dabit vicissim maritus afflictissimus o-  
peram, ut intelligatis hoc vestrum officium in gratum  
ac memorem vos contulisse. Videt enim & multum  
honoris inde accessisse mortuæ, & ad se plurimum quo-  
que solatii pervenisse. Quocirca nullam unq̃vam oc-  
casionem prætermittet temerè, cùm se consulere ve-  
stris commodis posse intelliget.

## ORATIO XXI.

## IN FVNERE

MARIÆ REUTERÆ,  
MICHAELIS SCHNEIDERI, Quæsto-  
ris Præfecturæ Wittenberg.  
Conjugis.

RECTOR MAGNIFICE, &c.

**Q**Uamquam acerbum valde & permolestum mihi  
accidit, in Ornatissimæ fœminæ, quā humavimus,  
exequiis verborum aliquid facere, ut mihi indigner  
propè reperiri in me hanc quamvis exiguam & nimis te-  
nuem facultatem dicendi. Nam ecquid durius, quid tri-  
stius mihi usu venire poterat, quàm quòd in ejus cala-  
mitate maxima domesticaq̃; jactura loquentum publicè  
est, qui me & multis officiis obligarit sibi hætenus, &  
nullo non genere amoris ac benevolentia quodidie pe-  
ne prosequi soleat? Tamen ne denegare tibi aliquid vi-  
dear, SCHNEIDERE Amplissime, parebo voluntati tuæ:  
nec ulla opera à plena tædii molestiaq̃; unquā erit quā  
non conservandi tui erga me affectus spè libenter ac prò-  
tè navare velim. Nolim tamen existimetis, AUDITO-  
RES,



RES, me nunc de nostræ SCHNEIDERÆ laudibus accuratum atque prolixum sermonem instituturum. Nam quamvis multa de genere ejus atque parentibus, quibus nata: De virtutibus item eximiis, quibus ornata ante plures alias fuit, afferri in medium & explicari poterant; tamen nec præsens tempus id patitur, & alibi de istis omnibus expositum est. Et sunt præterea maximam partem ita nota ab se, ut universæ civitatis propemodum ore celebrentur. Quotusquisque in hac splendidissima corona, quæ me circumstat, reperendus est, qui non sponte fateri possit, **MARIAM** nostram pietate in Deum, probitate erga homines quosvis, fide amore, studio in maritum ac liberos: posthæc prudentia gubernandæ domus, administrandique familiam, ita præstitisse, ut paucæ cum ea comparati posse videantur. Utinam verò fecisset Deus, ut cōmorari nobiscum diutius, eaque officia & amantissimo marito, & liberis dulcissimis potuisset præstare, quibus quòd nunc privati sunt, se pene omnium infelicissimos putant! Quàm id non modo ipsis, quos ferit propriè isthæc clades, sed nobis etiam, quotquot eximio Viro benè cupimus, gratum atque jucundum esset? Sed quando ita placuit rerum omnium arbitro, ut nunc relinqueret cœus hominum scœmina optima, atque exturbata hac & procellosa tempestate in pura illa tranquillaq; cōmigraret; nostrum omninò est, ferre sortē, quam Deus imposuit; nec resistere, cui obmurmurare saltem extrema impietas. Nihil quidem earum rerum **MARIÆ** deerat, quæ vitam humanam gratam atq; jucundam efficere solent; sed ea omnia nec minimam partem ejus felicitatis æquiparant, quæ composita nunc ejus anima fruitur, quæ conjuncta Deo, conjuncta sanctissimis purissimisque spiri-



spiritibus in effabilia & videt, & audit, & ipsa sentit. Quæ cum recenseo mecum cogitans, videre ipsam defunctam videor, astandem coram renidenti & longè augustiore, quàm antea fuit, facie, & talibus verbis maritum optimum liberosque alloquentem: *Non est, o mei, quod vos hic luctus mordeat: neque passa sum mali aliquid, & Deo parere summa libertas est. Non ita subtraham vobis sum, ut porro carendum perpetuo sit: erit tempus, cum reddar denuò, imò cum vos mihi reddemini. An maior esse felicitas potest, quàm Deo uniri, quo tota expleor? Aut potest cum quoquam agi melius, quàm qui excessit terris, ubi plerique, aut infelices ipsi sunt, aut per malitiam insitam faciunt tales? Nemo certe securus, nemo quietus satis unquam agit? Hinc cum discesserim, & huc pervenerim, quò ipsi cupitis, quid deploratis precessisse, quam consequi olim desideratis? Hæc in præsentem, AMPLISSIME VIR, videtur mihi exoptatissima conjux tua verba facere: quæ quò attentius consideraveris, eò plus solatii ac levamenti inde decerpes. Et est profectò ea pietas tua, ut nunquam non Deo obsequendum censeas: ea prudentia, ut ferenda constanter existimes, quæ mutari non possunt.*

*Durum, sed levius fit patientiâ,*

*Quicquid corrigere est nefas.*

Quo restat, vobis RËCTOR MAGNIFICE, & cæteri omnes lectissimi ac honoratissimi viri, hujus ipsius nomine, ad quem cum vestrâ, ut spero veniâ direxi sermonem, singulares & ago & habeo gratias, quod has exequias tam frequenter & copiosè executi estis. Nam cum non parum solatii ex istâ vestrâ humanitate perceperit Amplissimus Vir, facilè videt, quantum vicissim vobis debeat. Quocirca id sedulò atque enixè contendet



det deinceps, ita se semper comparet, ut, quoad fieri potest, utilitatibus vestris inserviat.

## ORATIO XXII.

## IN FVNERE

AGNETIS SCHNEIDERÆ,

MICHAELIS SCHNEIDERI

Quæstoris Præf. Wittemb. filiz  
virginis.

RECTOR MAGNIFICE, &amp;c.

PLANè contra spem & vota nostra accidit, ut Viro Amplissimo MICHAELI SCHNEIDERO, lugubre istud & illætabile officii genus præstaremus. Quotusquisq; enim vestrum est, qui non superioribus seprimanis, finitis exequiis desideratissimæ conjugis, egregio Viro, pro eâ benevolentia & singulari affectu, quo eum pleriq; omnes soletis complecti, apprecatus sit ne quis hujusmodi casus tristior ejus turbaret domum, sed ut læta & prospera omnia deinceps potius experiretur, qui tanta in præsentī clade esset affectus, quā nullā propemodum infelicior graviorq; contingere posset? Et tamen evenit, ut post uxorem charissimam, filiamq; quoq; quam secum habebat domi, amitteret, ea ætate, iis suavissimis moribus, ea fide in se atq; amore singulari, ut efficacissimum inde solatium immensi doloris haberet sperandum. Sed nos concipere vota quidem possumus, & constituere, quæ aut nobismet ipsis aut aliis etiam evenire optemus: cæterum obtinere, quæ cupimus, & impetrare, à Dei solius voluntate pendet, qui ut solus novit quid cuiq; nostrum expediat maxime; ita pro bonitate sua ac immenso amore, quo nos com-



complectitur, unicuique libet dispensat farsa, prout conducit maximè, et si alia omnia sperabamus. Adeò, ut si earum rerum, quæ nobis eveniunt, rationem ad voluntatem nostri animi exigamus, vel iratissimus videri queat; cum studiosissimus nostri sit, nec quicquam aliud magis, quam nostram salutem procuret. Neque enim bonorum malorumque natura ad mentis humanæ rationem examinanda est; sed pro misericordissimi Numinis voluntate potius consideranda. Qui cum nec velle (saltem aliquid possit mali; sequitur multa apud ipsum bona haberi, quæ nostris judiciis pessima videantur. Sed quò sincerius hunc Viri optimi miseramini casum, tanto majore studio, procul omni dubio, ad celebrandas istas exequias convenietis. Pro qua singulari vestra benevolentia ac studio, tum patris absentis, & ejus quidem afflictissimi, tam reliquæ totius familiæ nomine singulares vobis atque prolixas ago gratias. Dabunt vicissim operam, ut grata & profutura studia vobis exhibeant,

## ORATIO XXIII.

## IN FUNERE

BARBARÆ SCHURERIÆ,

CHRISTOPHORI WUSTII.

Bibliopolæ Wittenbergenſis,

Conjugis.

**D**Um ad exequias istas & hoc officium funebre, DIRECTOR MAGNIFICE, Reverendi Admodum, Amplissimi, Clarissimi & Prudentissimi Viri, tam frequentes convenistis, non modò de CHRISTOPHORO WUSTIO Viro optimo, ejusque desideratissima Conjuge BARBARA SCHURERIA, cui hæc per-

solu-



soluta solennia sunt; sed & de vobismet ipsis quodammodò benè meriti estis. Nam quum ad refrenandam libidinem peccandi & continendum animum intra modestiæ legem nihil efficacius sit, quàm suæ quemque fragilitatis meminisse; in illam autem cogitationem nunquam præsentius induci soleamus, quàm ubi funeribus intersumus, & quid futurum tandem de nobis, oculis coràm intuemur: nemo non videt, quantum utilitatis ex hoc officii genere capere liceat. Jam quantus ad defunctam redundasse existimandus est honor, quum funus ejus à tot clarissimis lectissimisque viris deductum est? Quod etsi quidam sacramenti nostri lege debere alter alteri videatur; mavult tamen infelicissimus viduus id singulari cuidam in se suamque heu olim dulcissimam conjugem affectui adscribere. Ut quo plus beneficii acceperit, eò & plus solatii haurire posset. Quo quidem planè singulari opus erat, ut qui nescio quid rarum, & majus conjugē, amisisse sibi videatur. Nam quamvis nunquam non amarum ac triste sit, divelli à suis; tamen ejusmodi privari uxore, in qua nec morosissimus quisque ullam querendi causam inveniat, id verò ejusmodi vulnus est, cujus magnitudo atque acerbitas vix sensu colligitur, nedum verbis exprimi queat. Præcipuè quum brevi adeò tempore frui licuit: nulla præterea supersint pignora, quæ & testari de illo amore arctissimo, quem mutuò caluerunt antea, & lenire desiderium defunctæ possent. Ita enim existimandum est, parentes in liberis spirare quodammodò, nec mori posse penitus, qui aliquod sui exemplar reliquerunt. Quod si illa cum primis officia studiaque, quæ duriori atque nostro atque difficili tempore præstatur nobis, devincire ac nos obnoxios reddere assolēt, quas vobis



bistandem, Exequiatores, iste optimus Vir persolvat gratias, quod in tanta clade domestica ipsi minimè defuistis? Quam pietetem vestram ipsemet verbis amplissimis nunc iret dilaudatum, nisi doloris magnitudo, non modò mentem opprimeret penitus, sed ipsum quoque vocis usum adimeret. Ita autem persvadebitis vobis, ipsum daturum semper operam, ut cogitet faciatque ea sedulò, quæ ad existimationem vestram ac commodum maximè pertinebunt. Ego verò hac publica voce mitissimum Numen apprecor, ut Virum optimum. CHRISTOPHORUM WUSTIUM, ita firmet ac roborer, ut cum non Christiano Vate Christianè proflus exclamare possit:

*Duc me parens summiq; dominator poli  
Quocunq; placuit; nulla parendi mora est:  
Adsum impiger: fac nolle; comitabor gemens.*

Quamvis ipse optem potius, ut lætus comitetur  
& lubens: ac quem percussorem sensit modò mox medicatorem benignissimum  
experiatur.

**SOLI DEO GLORIA!**



